


Krieg. Quaestiones Rutilianae

QVAESTIONES RVTILIANAE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QVAM SCRIPSIT

AD SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORVM IENENSIVM ORDINE

RITE IMPETRANDOS

THILO KRIEG

SAXO-GOTHANVS

Herrn Prof. Dr. Erwin Rohde
in größter Hochachtung
der Verf.

LIPSIAE

TYPIS B. G. TEVBNERI

MDCCCXCVI

Genehmigt von der philosophischen Fakultät der Universität Jena auf Antrag des Herrn Professor Goetz.

Jena, den 18. Mai 1895.

Dr. L. Knorr,
d. Z. Decan.

SAMVELI · KROSCHEL · ET · GVILELMO · FRITSCH

S

152398

QVAESTIONES RVTILIANAE

SCRIPSIT

THILO KRIEG

Quaestionibus quae ad P. Rutilii Lupi de figuris libros pertinent solvendis non semel viri docti operam dederunt: inter quos primo loco nominandi sunt Gustavus Dzialas (quaestiones Rutilianae ed. Vratislaviae a. 1860) et Ioannes Draheim (schedae Rutilianae, ed. Berolini a. 1874). Sed quoniam iis quae hi duo viri docti proposuerunt non omni in re, quod videam, adsensi sunt qui post illos difficultates attigerunt magis quam expediverunt, res postulare videtur, ut post interiectum tantum spatium tota quaestio de integro retractetur.

Ac primum quidem, sintne ex ipsius manu Rutilii duo quos habemus libri profecti necne, deinde quam ab origine totus liber Rutilianus habuerit formam, denique qualis inter Rutilium et Gorgiam intercedat ratio, disceptare in animo est.

I.

DVOS DE SCHEMATIBVS LEXEOS LIBROS QVI RVTILII NOMINE ETIAMNVNC EXSTANT EX IPSIVS RVTILII MANV PROFECTOS ESSE DEMONSTRATVR.

Duo libri qui sunt de schematibus lexeos Rutilii nomine ad nos venerunt. Quos cum ab ipso Rutilio sic ut nunc habentur conscriptos esse viri docti Dzialas, Blass, Birt negaverint, horum omnium sententiae deinceps diligenter tractandae sunt.

§ 1. Dzialasii sententia examinatur.

Atque in Dzialasii argumentis examinandis et refellendis iam Draheim versatus est. Sed cum ipse haud pauca habeam quae de meo addam, dilucide disposita quaecunque ea de re in fine Dzia-

lasii libelli et passim apud Draheimium contra illum leguntur repetenda ac quae mihi ipsi adsunt nova cum his conectenda sunt.

Dzialas igitur Rutilii libros duos quos habemus ex ipsius manu esse profectos negat et magistri alicuius, qui fortasse saeculo altero exeunte et ineunte tertio integrum Rutilii librum in brevius contraxerit, epitomen esse contendit. Huius sententiae fundamentum hoc est: a Quintiliano Rutilium dignum iudicatum, quem potissimum sequeretur, videlicet propter praeclaram descriptionem figurarum. Atqui in libris qui Rutilii nomine supersint plura animadverti, qualia non possint nisi ab homine mediocris ingenii profecta esse. Ergo ab ipso Rutilio hos duos libros non posse non abiudicari. — Esse autem tria quae homine eo cuius tantam rationem Quintilianus habuerit plane indigna esse adpareat. Primum mirum in modum interdum ordinem figurarum turbatum videri, ita ut figurae eae quae artissime inter sese cohaereant aliis interpositis figuris seiunctae sint: sic figuram *παρονομασίας* a figuris *παρομοίου ὁμοιοπτώτου ὁμοιοτελεύτου ἰσοκώλου* separatam legi (cf. Dz. p. 35). Omnino sine ulla ratione ex ordine figuras collocatas esse: longe alium haud dubie ipsius Rutilii veterem ordinem fuisse (cf. Dz. p. 38). — Deinde magna neglegentia multas figuras descriptas esse: conferendam *παρομοίου ὁμοιοπτώτου ὁμοιοτελεύτου* (II 12—14) figurarum tractationem, inter quas quid intersit, scriptorem ignorare adpareat (cf. Dz. p. 37). — Tum, quamquam ceteroquin tantummodo lexeos schemata pars Rutilii nobis servata habeat, *ἀντιθέτου* tamen figurae genus utrumque exstare, quod Rutilium tractasse Quintilianus testis sit: figuris verborum genus alterum huius figurae, sententiarum scilicet, nulla addita differentia immixtum esse: quattuor enim genera *ἀντιθέτου* legi, quorum primum et alterum schema dianoeas, tertium et quartum schema lexeos efficiant (cf. Dz. p. 36). — Ad tria haec argumenta, quae libros servatos non posse ab eo scriptos esse quem ipse Quintilianus tanti fecerit satis dilucide indicent, accedere quartum, quod Quintilianus IX III 89, ubi de declinatione schematum dianoeas et lexeos agat, haec omnia copiosius esse exsecutos cum alios qui proprios libros figuris dedicaverint tum Rutilium dicat, cuius quidem declinationis, tametsi eius generis figuras a Quintiliano memoratas in libris Rutilii qui supersint habeamus, nihil apud illum legatur (cf. Dz. p. 37).

Haec igitur Dzialas. At ne fundamentum quidem ipsum eorum quae proposuit satis certum est. Maximi enim aestimatum esse Rutilium a Quintiliano non constat (cf. Drah. p. 12). Ipse per-

lustrans locos eos, quibus ex eo Quintilianus hausit, nusquam vidi aperte eum ab illo laudatum disertisque verbis dignum iudicatum, quem potissimum sequeretur. Decem locis Rutilii nomen apud Quintilianum legitur; quattuor aliis omisso nomine exempla ex eius libello petita exstant. Atque inquirens, quemadmodum eius rationem Quintilianus in libro nono habuerit, inveni haec:

Aut exempla ille e Rutilio petivit, quae ei apta ad illustrandum viderentur, nullo addito verbo (cf. III 68: *cui confinis est quae ἀντανάκλασις dicitur, eiusdem verbi contraria significatio* ... sequitur exemplum Proculeianum e Rut. I 5 petitum — III 75 ... *similium fere quadruplex ratio est. Nam est primum, quotiens verbum verbo aut non dissimile valde quaeritur ... aut certe par et extremis syllabis consonans: non verbis, sed armis* ...; quod exemplum ex Rut. II 12 [fig. παρομοίον] extractum est — III 84 in descriptione antitheti: *nec semper quod adversum est contra ponitur, quale est apud Rutilium:* sequitur exemplum e Rut. II 16 petitum): aut notavit quaedam, in quibus Rutilius discederet a ceteris vel quae apud eum solum legerentur, ita quidem ut nihil de iis quid ipse iudicaret profiteretur (cf. II 101: *et Celsus tamen et non neglegens auctor Visellius in hac eam parte posuerunt* sc. comparationem in figuris sententiarum, *Rutilius quidem Lupus in utroque genere idque ἀντίθετον* vocat — II 102 *praeter illa vero quae Cicero inter lumina posuit sententiarum multa alia et idem Rutilius Gorgiam secutus ... et Celsus, videlicet Rutilio accedens, posuerunt schemata;* secuntur II 103 quinque figurae sententiarum — II 106 *Rutilius sive Gorgias ἀναγκαῖον ἀνάμνησιν ἀνθυποφοράν ἀντίρρησιν παραύξησιν προέκθεσιν ... ἐναντιότητα .. μετάληψιν etiam* sc. inter figuras sententiarum solus posuit — III 36 in descriptione fig. πολυπτώτου: *interim variatur casibus haec et generibus retractatio ... et apud Rutilium longa περιόδῳ, sed haec initia sententiarum sunt;* sequitur exemplum e Rut. I 10 extractum — III 89 *etiam in personae fictione accidere quidam idem putaverunt, ut in verbis esset haec figura: crudelitatis mater est avaritia* ...; quae verba ad Rutilium potissimum pertinere adparet: ille enim προσωποποιίαν inter schemata lexeos posuit II 6 exemplumque illud Quintiliani ex eodem petitum est): aut extraxit ex eo figuras complures quas ipse addubitaret vel se non prorsus intellegere fateretur (cf. III 65: *huic* sc. συνοικειώσει *diversam volunt esse distinctionem, cui dant nomen παραδιαστολήν, qua similia discernuntur: cum te pro astuto sapientem appelles, pro confidente fortem, pro inliberali diligentem* [quinam alii ita statu-

erint ignoramus: certe Rutilius hanc figuram habet I 4 exemplumque Quintiliani ibidem legitur]; *quod totum pendet ex finitione ideoque an figura sit dubito* — III 91 *quaedam omnino non sunt figurae, sicut ordo, dinumeratio, circumscriptio, sive hoc nomine significatur comprensa breviter sententia sive finitio: nam et hoc Cornificius atque Rutilius schema λέξεως putant* [Rut. II 5 ὁρισμός] — III 92 *sed mutatio, si ea est quam Rutilius ἀλλοίωσιν vocat, dissimilitudinem ostendit hominum, rerum, factorum: quae si latius fiat, figura non est, si angustius, in ἀντίθετον cadet, si vero haec appellatio significat ὑπαλλαγήν, satis de ea dictum est* — III 93 *nam de illo dubitari possit, an schema sit, in distributis subiecta ratio, quod apud eundem* sc. Rutilium *primo loco positum est. προσαπόδοσιν dicit* et quae sqq. — III 99 *item Rutilius praeter ea quae apud alios quoque sunt* sc. schemata lexeos *παρομολογίαν* et quae sqq. ..., *de quibus idem dico* sc. aut sententiarum potius ea schemata aut omnino nulla esse).[1]

Quid igitur? Numquid legitur his quattuordecim locis, quo Dzialasii illa opinio confirmetur? Immo quamquam Rutilium nusquam aperte reprehendit, ut non liceat contendere omnino parvi eum esse a Quintiliano aestimatum, tamen ne laudat quidem eum ullo verbo, cum Visellium, quo quidem item usus est, IX II 101 *non neglegentem auctorem* dicat. In excerpendis igitur et ex parte examinandis Rutilii figuris non propter figurarum praeclaram descriptionem, sed ea sola de causa Quintilianum versatum esse ex ipsis quos supra sub unum conspectum proposui Rutilianis apud illum locis adparet, quod multis in rebus Rutilius discedebat a ceterorum usu et doctrina, multas habebat figuras quae apud alios non legerentur[2]) idémque — hoc addo gravissimum — nondum

1) Praeterea una cum pluribus aliis memoratur Rutilii nomen ita, ut is locus quartus decimus numero inter tres has quasi categorias, quibus Rutiliana apud Quintilianum subiunxi, referri nequeat, III 89, ubi Quintilianus, postquam de declinatione schematum lexeos et dianoeas egit, sic pergit: *haec omnia copiosius sunt exsecuti, qui non ut partem operis transcurrerunt, sed proprie libros huic operi dedicaverunt, sicut Caecilius, Dionysius, R u t i l i u s, Cornificius, Visellius aliique non pauci.*

2) Simili de causa, ni fallor, Celsi Quintilianus in descriptione figurarum rationem habuit, qui, praeterquam quod e Rutilio hausit ipso a ceteris discedente et e Visellio, multas ipse figuras posuit quas alii non haberent. Ne hunc quidem, inquam, propter descriptas magno ingenii acumine figuras Quintilianus secutus est; nam ceteroquin quid de illo iudicaverit, satis constat: quamquam enim IX I 18, ubi reprehendit *nimia novitatis cupiditate* ab illo verbis et sententiis figuras colorum ad-

ex iis erat qui perverse et inepte dabant operam, ut figuras excogitarent quam possent plurimas: inter hos quidem Rutilium a Quintiliano ipso non esse relatum certum est, quippe de quibus sic ille IX III 99 iudicet: *nam eos quidem auctores, qui nullum prope finem fecerunt exquirendis nominibus, praeteribo.*[1])

Quamquam igitur hunc in modum eorum quae Dzialas collegit, ut Rutiliani libri partem servatam esse genuinam negaret, vel fundamentum eversum est, operae tamen pretium duco etiam illa tria quae hoc fundamento nituntur argumenta rectene se habeant necne investigare.

Atque haec quidem argumenta, ad quae accedit illud quartum numero supra memoratum, quod fundamento illo iam subducto non aeque atque illa tria nititur, partim habent aliquid veri, ut necesse sit aliquo pacto ea explicare, primum scilicet et alterum argumentum, partim per errores posita sunt facile detegendos, tertium scilicet et quartum numero.

a) Ac primum revera plures apud Rutilium quem nos habemus figurae verborum non eo sunt ordine collocatae, qualem exspectamus, i. e. qualem et ipsi per nos iudicamus rectum esse et a Quintiliano summo auctore institutum videmus. Id quidem Dzialasio facile concedo ad eius rei exemplum ab illo positum quod supra memoravi[2]) ipse addens has figuras apud Rutilium disiunctas,

iectas, *eruditum alioqui virum* eum vocat ac quamquam X I 124 scripsisse eum *non parum multa* memorat *non sine cultu ac nitore,* id quod ad dicendi genus pertinet, alio tamen loco, XII XI 24, *mediocri virum ingenio* eum dicit.

1) Quae cum ita sint, sc. cum a Quintiliano Rutilium inter eos, qui *nullum prope finem fecerint exquirendis nominibus,* non esse habitum constet, facere non possum, ut adsentiar iis, quae leguntur in Teuffelii-Schwabei hist. lit. Rom. § 270, 2 adparere ex libro Rutiliano, quam minuta et inutili subtilitate multiplicandis verborum figuris posterioris aetatis rhetores operam dederint. Hoc opprobrio vertendum potius Aquilae Romano, qui, ut unum exemplum afferam, eius generis repetitionis, *cum id quod dictum semel est quo sit gravius iteratur,* quattuor figuras discernit p. 31 et 32 (ex Halmii ed. rhet. lat. min.): *παλιλογίαν, ἐπανάληψιν, ἀναδίπλωσιν, προσαπόδοσιν* —, et Pseudo-Rufiniano de schem. lex. p. 49 et 50, qui item quattuor statuit: *ἐπανάληψιν, παλιλογίαν, ἀναδίπλωσιν, ἐπαναδίπλωσιν,* cum ipse Rutilius eiusdem generis unam figuram habeat I 11 *ἐπανάληψιν* et quamquam *id interdum fieri uno verbo, interdum plurium verborum coniunctione* dicit, uno tamen nomine haec duo quae ipse statuit genera comprehendat.

2) Alterum quod apud Dzialasium legitur p. 35 exemplum mihi improbatur. Tametsi enim similis ratio inter figuras *προσαποδόσεως* I 1 et *ἀλλοιώσεως* II 2 intercedere videtur exempla introspicienti — in exem-

quas utpote eiusdem vel similis generis inter se coniungendas potius esse statuo:

ἀντιμεταβολήν I 6 et *ἀντίθετον* II 16, quae Rutilii figurae apud Quint. IX III 84 et 85 coniunctae leguntur: 81 *contrapositum* (*ἀντίθετον dicitur*) *non uno fit modo* ... (enumerantur plures modi cum alii tum hic:) *nec semper quod adversum est contra ponitur, quale est apud Rutilium* (sequitur exemplum e Rut. II 16 depromptum) .. *fit etiam adsumpta illa figura, qua verba declinata repetuntur, quod ἀντιμεταβολή dicitur*, cf. Rut. I 6.

ἀνάκλασιν I 5 et *διαφοράν* I 12; cf. Quint. IX III 68: *cui* sc. *παρονομασίᾳ confinis est quae ἀντανάκλασις dicitur, eiusdem verbi contraria significatio;* quae Quintiliani *ἀντανάκλασις*, quamquam eius exemplum ab illo positum apud Rut. non legitur I 12, sed I 5, eadem tamen est atque Rutilii *διαφορά* I 12 *(hoc schema est cum verbum iteratum aliam sententiam significat ac significavit primo dictum);* cuius schematis *διαφορᾶς* quasi speciem apud eundem esse adparet *ἀνάκλασιν* I 5, quae ab illa hac tantum re differt, quod in fig. *ἀνακλάσεως* duobus hominibus opus est, quorum unus verbum aliquod expromit, alter idem verbum, contraria tamen significatione repetit (cf. Rut. I 5: *hoc schema fieri solet, cum id quod ab altero dictum est non in eam mentem quae intellegitur, sed in aliam aut contrariam accipitur.*

Eandem *ἀνάκλασιν* I 5 ac *διαφοράν* I 12 et *παρονομασίαν* I 3; cf. eundem quem modo citavi apud Quint. locum IX III 68.

παραδιαστολήν I 4 et *συνοικείωσιν* II 9; cf. Quint. IX III 64 et 65 *(... coniunctionem συνοικείωσιν vocant, quae duas res diversas colligat ... huic diversam volunt esse distinctionem, cui dant nomen παραδιαστολήν, qua similia discernuntur)* et ipsius Rutilii definitiones *συνοικειώσεως (hoc schema docet diversas res coniungere et communi opinioni cum ratione adversari)* et *παραδιαστολῆς (hoc schema plures res aut duas quae videntur unam vim habere disiungit et quantum distent docet).*

plis enim utrimque duae vel plures personae aut res separantur ac contraponuntur inter se —, tamen, in definitionibus quid commune hae duae figurae inter se habeant, ut quod seiunctae sint tanto intervallo mirere, non video: etiam Quintilianus, ubi harum figurarum mentionem facit IX III 92—95, unam prorsus alio modo definit atque alteram. Ego figuram *ἀλλοιώσεως*, si quidem est figura, id quod Quintilianus recte addubitat, iis subiungendam figuris putaverim, quae antitheti nomine comprehenduntur; eodem vero illa altera figura *προσαποδόσεως* referri nullo modo potest, ut vel inde eluceat similis generis has duas figuras non esse.

Etiam figuras *προσαποδόσεως* I 1 et *αἰτιολογίας* II 19 addiderim. Quamquam enim apud Rutilium figurae *αἰτιολογίας* ipsa definitio has duas figuras cohaerere quodammodo inter se non dilucide indicat, ex exemplis tamen utrimque allatis coniungendas eas esse mea sententia elucet. Sic enim res se habere mihi videtur, ut in figura *αἰτιολογίας* uni sententiae propositae ratio subiungatur, cum in figura *προσαποδόσεως*, ut ipsius Rutilii verbis utar, *sententiis duabus aut pluribus propositis sua cuique ratio vel posterius reddatur vel statim sub unaquaque subiungatur;* cf. Quint. IX III 93, ubi *αἰτιολογία* dicitur *ad propositum subiecta ratio, προσαπόδοσις in distributis subiecta ratio.*[1])

Ne sim longus, apud Rutilium multas figuras nexu quodam inter se cohaerentes disiunctas legi certum est. At ne quis me putet haec congessisse exempla, quibus stabilirem ac veri simillimum redderem quod inde collegit Dzialas, sufficere ea, uti partem Rutiliani libri servatam esse genuinam negemus, mihi cum Draheimio non videntur.

Primum enim non omnes figuras similes seiunctas esse a Rutilio ipse Dzialas animadvertit, veluti figurae *ἐπιβολῆς ἐπιφορᾶς κοινότητος πολυπτώτου ἐπαναλήψεως* I 7—11 (cf. Quint. IX III 28 et quae sqq.) coniunctae exstant (cf. Dz. p. 35). Idem cadere in figuras *παραδιαστολῆς ἀνακλάσεως ἀντιμεταβολῆς* I 4—6 Draheim statuit (cf. Drah. p. 15). Ipse addo figuras *παρομοίου ὁμοιοπτώτου ὁμοιοτελεύτου ἰσοκώλου ἀντιθέτου* II 12—16 (cf.

1) Ceterum Volkmann, cum in libro de rhetorica Graecorum et Romanorum p. 470 (ed. alterius) Rutilianam *προσαπόδοσιν* eandem dicit esse atque *ἐπάνοδον* vel regressionem, apud Rut. illa figura quid sibi velit, non intellexisse videtur. Quintiliani quidem *ἐπάνοδος* IX III 35 repetendi genus id est, quod *simul proposita iterat et dividit:*

Iphitus et Pelias mecum, quorum Iphitus aevo
iam gravior, Pelias et vulnere tardus Ulixei.

ἐπάνοδος dicitur graece, nostri regressionem vocant. Ac Volkmann, ut hoc schema *ἐπανόδου* apud Rut. vocari *προσαπόδοσιν* statueret, exemplo fortasse motus est quod apud illum priore loco legitur: *non enim pari ratione Philippus atque nos adversis rebus medetur, sed ille usque eo nititur, quoad restituat atque exsuperet: nos contra statim vinci meditamur* et quae sqq., quippe ubi item *simul proposita iterentur et dividantur.* At alterum exemplum ipsaque definitio hanc figuram eandem iudicare atque *ἐπανόδου* figuram Quintiliani vetant. Quintiliani quoque fig. *προσαποδόσεως* definitio quam supra memoravi eaque quae in carminis de figuris v. 112 legitur definitio, ne cum Volkmanno faciam, obstat (cf. etiam Cic. de oratore III 54 *in distributis supposita ratio* = Quint. IX III 93 = *προσαπόδοσις* apud Rut.).

Quint. IX III 75—81), praeterea figuras *πολυσυνδέτου* et *διαλύσεως* I 14 et 15 (cf. Quint. IX III 50; *διάλυσις* apud Rut. = *ἀσύνδετον* apud Quint.). Errat igitur qui rationem quandam in singularum collocatione Rutilii figurarum desiderat ideoque ordinem eum quem nos habemus esse genuinum addubitat.

Deinde figurarum earum ordo quas Quintilianus IX III 99 enumerans aut sententiarum potius figuras aut nullas putat esse — sunt autem figurae *παρομολογίας ἀναγκαίου ἠθοποιίας δικαιολογίας προλήψεως χαρακτηρισμοῦ βραχυλογίας παρασιωπήσεως παρρησίας* — ita cum Rutilio quem nos habemus congruit, ut Quintilianum, has figuras verborum quae ipsi improbarentur cum colligeret, eo ordine quo apud Rutilium etiamnunc leguntur collegisse eas manifestum sit. Quod quidem idem Dzialas primus vidit (cf. Dz. p. 35, 36) neque eum fugit eodem quo apud Rutilium ordine etiam figuras *ἐπιβολῆς ἐπιφορᾶς κοινότητος πολυπτώτου ἐπαναλήψεως* omissis nominibus Graecis, nisi quod fig. *ἐπαναλήψεως* Rutiliana prima harum quinque memoretur, apud Quintilianum exstare, statuitque aliqua sane ex parte veterem Rutilii ordinem servatum videri. At Quintiliani, quippe qui integro Rutilii libro usus sit, ea in re auctoritas debet esse summa, ut, ubi quae ille e Rutilio affert cum Rutilii quem nos habemus ordine congruant, firmissimum hoc sit contra Dzialasium argumentum: ipse igitur ex iis quae contra suam ipsius sententiam ille indagavit, cum praesertim alia accedant, omni in re nobis praebere libros servatos ipsius Rutilii ordinem colligo.

Omnium autem maxume id ipsum, quod supra Dzialasio concessi multas figuras simillimas apud Rutilium quem nunc habemus diremptas quodammodo legi, facile explicari potest, ita ut non necesse sit eo quo ille vir doctus confugiamus. Adsentior enim Draheimio, qui, si quis omnino schemata ex ordine collocari velit, ei posteriores adeundos dicit, Quintilianum et Phoebammonem, qui categorias certas schematum statuerunt (cf. Dr. p. 14). Cavendum scilicet, ne nimium hac in re a Rutilio, nimium omnino ab iis qui ante Quintilianum scripserunt de figuris postulemus. Introspiciamus libros eorum qui ante Gorgiam sive Rutilium hanc materiam tractaverunt, incerti scilicet auctoris ad Herennium et Ciceronis, qui librorum suorum partem saltem describendis figuris dedicavere: sane alterum horum, incertum auctorem ad Herennium sive adulescentulum illum, qui omnia quae in scholis ad praecepta et dictata magistri sui latini, fortasse L. Plotii Galli, conscripserat domi modo ad verbum transcripsit modo paululum mutavit et addita-

mentis auxit[1]), non sine ratione figuras suas collocasse in promptu est: ut exempla quaedam afferam, apud illum recte coniunctae inter se leguntur *repetitio conversio complexio* (IV c. XIII § 19, 20; = ἐπιβολή ἐπιφορά κοινότης apud Rut.), *compar similiter cadens similiter desinens* (IV c. XX; = ἰσόκωλον ὁμοιόπτωτον ὁμοιοτέλευτον apud Rut.), decem exornationes verborum, quarum omnium hoc est proprium, ut *ab usitata verborum potestate recedatur atque in aliam rationem cum quadam venustate oratio conferatur* (IV c. XXXI et quae sqq.; quae figurae postea a rhetoribus tropis adscriptae sunt). Neque usquam apud eum similes figuras seiunctas vidi. At nihilominus dilucide disponere figuras suas ne hic quidem conatus est. Alter vero, Cicero, multas ille quidem figuras similes inter se conexuit, cf. in tertii de oratore c. 54: .. *eiusdem verbi crebra tum a primo repetitio tum in extremum conversio et in eadem verba impetus et conclusio* = ἐπιβολή ἐπιφορά κοινότης apud Rutilium (eodem modo in Oratoris cap. 39: *cum aut ab eodem verbo ducitur saepius oratio aut in idem conicitur aut utrumque*); ibidem: *illa quae similiter desinunt aut cadunt similiter aut quae paribus paria referuntur* = ὁμοιοτέλευτον ὁμοιόπτωτον ἰσόκωλον apud Rut., ac plura huiusmodi; non tamen eo vitio prorsus abstinuit, ut figuras haud dubie coniungendas separaret, veluti (cf. de or. III 54) *geminationem* = ἀναδίπλωσιν disiunxit ab eiusdem generis, adiectionis scilicet, figuris *eiusdem verbi a primo repetitionis, in extremum conversionis, in eadem verba impetus et conclusionis*, figuram *quod in multis casibus ponitur* = πολύπτωτον ab iisdem quas modo enumeravi figuris, figuram *paulum immutatum verbum atque deflexum* = παρονομασίαν ab eiusdem generis figuris *quae similiter desinunt, quae cadunt similiter, quae paribus paria referuntur* et cetera. — Horum autem utriusque rationem figuras collocandi comparasse cum Rutilio ideo haud ineptum iudico, quod haec mecum reputanti eo mihi firmior visa est Draheimii sententia, qui hanc quae est revera aliqua ex parte in coniunctione figurarum neglegentiam inde, quod illa aetate accurate disponendi atque etiam certis categoriis subiungendi figuras ratio nondum ex usu fuit, studet explicare.[2])

1) Cf. in edit. inc. auct. de rat. dic. ad C. Her. librorum IV a Friderico Marxio a. 1894 parata prolegomenon paginas 84—95, 147—156; qui vir eruditus plane nova eademque satis probabili ratione quaestiones quae ad illos libros pertinent persolvere conatus est.

2) Quod Dzialas adfirmat p. 38 hanc figurarum sine ulla ratione ex ordine collocationem, qualem in Rutilii libris servatis statuit, posteriori-

b) Etiam in descriptionibus figurarum Rutilii neglegentiam quandam Dzialas recte animadvertit — non dico descriptionum dicendi genus, de quo infra in capite tertio exponam, sed parum accurate non semel indicatam singularum figurarum notionem —, sed ne haec quidem neglegentia postulat, ut ab ipso Rutilio duos libros eius nomine servatos abiudicemus.

Facile concedo definitiones in universum perlustrantibus tantummodo descriptiones potius quam finitiones distinctas videri.[2])

bus demum temporibus videri usu venisse, non de omnibus posterioris aetatis rhetoribus, quod videam, recte dicitur. Sane ex Alexandri Numenii epitomatore, Tiberio, Zonaeo nullam qua disposuerint singulas figuras rationem elicere possum; ac de Pseudo-Rufiniano de schem. lex. idem quod de Rutilio statuendum est partim ab eo recte coniunctas figuras similes partim sine ulla causa disiunctas esse. At praeterquam quod posterioris aetatis rhetores Quintilianus et Phoebammo alter verborum figuras tribus categoriis, alter quattuor categoriis et verborum figuras et sententiarum subiunxerunt, etiam Aquila Romanus schematum lexeos duas quasi categorias constituere conatus saltem est, quarum una comprehendit figuras *ad ornandum tantum et quasi ad pingendam orationem accommodatas* (§ 21) vel *ad ostensionem facientes* (§ 42), altera figuras *ad accendendam pugnam dicendi valentes* (§ 30) vel *ad certamen facientes* (§ 42). Uni generi subiunxit eas, in quibus *paribus paria redduntur aut simili casu aut sono determinantur* (§ 42), recte coniungens inter se figuras *ἀντιθέτου ἰσοκώλου παρίσου ὁμοιοπτώτου ὁμοιοτελεύτου παρονομασίας* (22—27). *πλοκήν* et *παλιλογίαν* non ad formandam magis orationem quam ad accendendam pugnam dicendi valere dicit alterique generi plerasque earum quae consecuntur subiungit, conectens inter se cohaerentes figuras repetitionis *ἐπαναλήψεως ἀναδιπλώσεως προσαποδόσεως ἐπαναφορᾶς ἀντιστροφῆς συμπλοκῆς πολυπτώτου* (31—37) iisque fig. *συνωνυμίας ταυτολογίας κλίμακος ἀσυνδέτου* adiiciens; postremo contrarias inter se figuras *διεζευγμένου* et *ὑπεζευγμένου* (43, 44), *πλεονασμοῦ* et *ἐλλείψεως* (45, 46) memorat. Cum non satis certas esse has duas categorias et utrique earum multas quas Aquila Romanus posuit figuras posse adscribi manifestum sit, non certe illi contigit, ut plane dilucidam dispositionem suam redderet apteque figuras cunctas subiungeret, attamen sine ratione ex ordine collocasse figuras suas ne hunc quidem dicere licet. Cf. Martianum Capellam, qui divisionem illam quidem non retinuit (quamquam enim unum genus recepit — vide § 40 —, postea tamen ipse dubitasse de hac divisione videtur, ita ut alterum plane omitteret), sed singulas figuras sic ut coniunctas inter se optime apud Aquilam Romanum legerat descripsit.

2) Quod attinet ad I 21, ubi *ἠθοποιίας* solum nomen legitur, usque ad tantam neglegentiam progressum esse Rutilium, ut hanc figuram omnino non describeret, absimile vero est; itaque hoc quidem loco definitionem figurae casu quodam intercidisse eodem modo atque I 1 certum puto.

Nec mihi improbatur quod Dzialas dicit ipsum scriptorem, quid intersit inter figuras *παρομοίου ὁμοιοπτώτου ὁμοιοτελεύτου* (II 12—14), non habuisse compertum: quamquam enim *παρομοίου* et *ὁμοιοπτώτου* figuras descripsit (*παρόμοιον* .. *hoc paromoeon verborum efficit similitudinem; ὁμοιόπτωτον. hoc in duobus verbis eundem habet casum aut eandem novissimam syllabam*), *ὁμοιοτελεύτου* tamen figuram ita descripsisse satis habuit, ut hoc schema minus evidens esse atque superius neque omnino idem atque illud diceret (*neque tam paria duo verba sunt neque eundem habent casum et sonum vocis* sc. ut in fig. *ὁμοιοπτώτου*). Itaque cum *ὁμοιοτελεύτου* vim non satis cognitam haberet, ne distinguere quidem accuratissume has tres figuras inter se poterat. Nec vero hoc ego testimonium duco gravissimum quo evincatur ipsum Rutilium hos quos habemus libros non scripsisse, cum praesertim fundamentum illud eorum quae Dzialas posuit iam supra caducum factum sit; sed mea quidem sententia hoc loco sic fortasse res se habet, ut in transferendo Rutilius Gorgiae definitiones differentiamque indicatam parum intellexerit, id quod in figuris *ὁμοιοπτώτου* et *ὁμοιοτελεύτου* eo poterat facilius fieri, quia revera hae duae figurae vix inter sese differunt nec nisi species quodammodo *ὁμοιοτελεύτου* figura *ὁμοιοπτώτου* est (cf. Volkm. p. 483): quapropter maluit ad uniuscuiusque figurae exempla et ad ipsum Gorgiae librum, *ubi pluribus uniuscuiusque ratio redditur*, nos relegare. Huius autem sententiae meae augetur verisimilitudo, si comparabimus fig. *ὁμοιοπτώτου* et *ὁμοιοτελεύτου* exempla. Quamquam enim ea exempla non esse plane apta figuris suis quivis videt, non tamen cum Dzialasio p. 20 miro quodam casu inter se mutata ideoque ad sanandum locum transponenda esse *nam qui secundis rebus — insidiantur* et *nam res publica — legum* censuerim, immo ipsum Rutilium exempla sic, ut nunc quoque, non certe suo quodque loco, leguntur, posuisse iudicaverim. Ac qui id factum putas? Firmatur videlicet quod modo conieci, illae figurae apud Gorgiam quid sibi vellent, Rutilium non satis perspexisse: quamobrem in transferendo etiam exempla quae apud illum legerat recte collocata inter se confudit. — Iis autem qui offendunt in Rutilii ratione figuras definiendi respondeo valere argumentum iam a Draheimio indagatum (cf. Drah. p. 15): scilicet exemplis potius quam definitionibus rem illustrare Rutilium voluisse, ita ut prae illis definitiones aliqua sane in re neglegenter tractaret.

c) Tertium illud argumentum, quod Dzialas statuit figuram *ἀντιθέτου* et sententiarum et elocutionis nobis esse servatam, in

errore versari iam Draheim ostendit p. 2, qui apud Rut. II 16 non de utroque genere, sed de unoquoque dici nec quattuor ibi genera, quorum primum et alterum sint sententiarum, tertium et quartum verborum, sed tria tantummodo, tres scilicet quasi species uni generi eique *ἀντιθέτου* figurae verborum subiunctas enumerari recte animadvertit.

Vehementer dolet, quantum video, Dzialas p. 37, quod demonstrare nequit etiam figurae *ἀναγκαίου* I 20 genus utrumque, quod teste Quintiliano Rutilius posuit, nobis esse servatum: ne hac quidem figura uti licet ita, ut nisi epitomatorem neminem adeo sine ratione potuisse figuras commiscere probetur. Quamquam enim duo sane ibi exempla posita sunt, haec tamen unius atque eiusdem generis esse adparet neque quicquam in ipsa definitione de duobus generibus legitur, sed de tribus potius uni generi subiunctis, si quidem ipse Rutilius eiusmodi quasi species hoc loco distinguere voluit *(omnis eius utilitas in eo est, cum volumus ostendere necessitudinem aut naturae aut temporis aut alicuius personae)*: quod unum genus elocutionis esse ex Quint. IX III 99 elucet, ubi figura *ἀναγκαίου* antecedente sicut apud Rut. quem nos habemus figura *παρομολογίας*, sequente *ἠθοποιίας* inter verborum figuras, eas tamen quas ipse Quintilianus aut sententiarum potius aut nullas censet, enumeratur.

d) Ne quartum quidem Dzialasii argumentum satis firmum est. Tametsi enim concedo ea quae de personae fictionis figura apud Quint. IX III 89 leguntur ad Rutilium potissimum spectare, haec tamen verba nil aliud sibi velle mihi videntur plane simplicem in modum ea consideranti nisi hoc Rutilium personae fictionem vel *προσωποποιίαν* verborum figuris adnumerasse, cum alii inter sententiarum figuras eam haberent: non igitur hanc esse huius loci sententiam iudico, quasi Rutilius et inter verborum et inter sententiarum figuras *προσωποποιίαν* posuerit. — Quod si quibus non placet, scilicet si qui dicunt, quae de personae fictione ibi leguntur ad Rutilium spectantia, sic intellegenda, ut utrumque genus *προσωποποιίας* Rutilium tractasse statuamus, atque etiam quae de dubitationis et correctionis figurarum declinatione Quintilianus profert, ea ad Rutilium inprimis spectare, cuius in libris duobus servatis quamquam eae figurae memorantur II 10 (*ἀπορία*), I 16 (*μετάνοια*), II 6 (*προσωποποιία*), nil tamen de hac declinatione legitur, respondeo his potuisse Rutilium eam declinationem *copiosius exsequi* in libri sui parte deperdita ac dianoeas schemata continente, cum praesertim ibidem eum de dianoeas schematibus *ἀντι-*

θέτον et *ἀναγκαῖον* eorumque ab eiusdem nominis schematibus lexeos differentia egisse certum sit.

Non esse igitur quae Dzialas indagavit ea quibus stabiliatur ullo pacto eius sententia extra omnem dubitationem est. Videamus porro, quantum sit Blassii argumentis tribuendum.

§ 2. Blassii sententia examinatur.

Atque Fridericus Blass in libro quem scripsit de Graecorum eloquentia inde ab Alexandro usque ad Augusti aetatem a. 1865 edito excerptos esse hos duos quos habemus libros primum idcirco censet (p. 97 ann. 5), quod sine ordine singulae figurae collocatae sint, deinde quod figurae verborum et sententiarum confusae ibi atque permixtae legantur, cum ipse Rutilius distinxerit haud dubie utrumque genus figurarum ac separatim tractaverit.

At nequaquam omni carere ordine has figuras Rutilianas, cum quamvis multae eiusdem generis disiunctae exstent, aliae plures recte inter se coniunctae legantur, iam supra contra Dzialasium uberius demonstravi monuique praeterea, ne ab illius aetatis rhetoribus certam quandam ad unam omnes figuras collocandi rationem postulemus.

Quibus vero de causis Blass et verborum figuras et sententiarum promiscue his duobus libris contineri opinetur, omnino non intellego — nihil sane ipse quo confirmet sententiam suam indicat —, ac tale quid eum statuisse eo magis miror, quod de Rutilio verba facienti ei notus esse debuit libellus ille a. 1863 a Dzialasio editus, qui quidem p. 30 et 31 singulas Rutilii percurrens figuras tantummodo lexeos schemata exhibere duos libros servatos evicit; quocirca denuo id demonstrare supersedeo. Itaque cum verborum has esse figuras ad unam omnes partim primo aspectu pateat partim Quintilianus testetur, qui quamquam ex iis complures non probat, ipsum tamen Rutilium verborum figuris eas adnumerasse significat, non erat Blassio, cur permultas Rutilii figuras a Quintiliano commemoratas, omnes scilicet sententiarum figuras quas ille ut Rutilianas affert, in his duobus libris desideraret.

Adparet igitur ne ea quidem argumenta quae hic vir doctissimus attulit, ut excerptos esse illos duos libros comprobaret, ullam vim habere.

§ 3. Birtii sententia examinatur.

Restat examinanda sententia Theodori Birt. Proficiscitur ille a codicum testimoniis. Atque codices noti, scilicet Mediceus saec. XIV, Mediceus saec. XV, Riccardianus saec. XV continens lib. I §§ 1—9, Vindobonensis lat. 179, hanc habent inscriptionem: *P. Rutilii Lupi schemata dianoeas ex Graeco uorsa Gorgia,* nisi quod Vindobonensis omisit *dianoeas:* in fine tamen libri alterius idem Vindobonensis exhibet haec: *P. Rutilii Lupi schemata dianoeas ex Graeco. Gorgia uorsa. explicit. incipit Romani Aquilae.* Praeterea autem initio libri alterius in cod. Mediceis A et B inscriptio legitur haec: *P. Rutilii Lupi schemata lexeos de libro secundo* et in Vindobonensi: *schemata lexeos. De libro II.* Ex qua quidem inscriptione Birt in libro quem scripsit de veterum re libraria p. 384, cum praesertim quae duobus libris servatis continentur ea vix ad unum volumen explendum ei sufficere viderentur, hos ipsos quos habemus libros excerptos esse collegit.

a) Argumentorum igitur quae ille vir eruditus posuit unum in ea quam modo indicavi codicum inscriptione quae legitur in Rutilii libro altero versatur: quae inscriptio cum non solum in Mediceis codicibus verum etiam in Vindobonensi exstet, in communi horum codicum archetypo haud dubie fuit.

Ac de excerptis posse intellegi ea verba *de libro secundo* quivis concedet. Ut exempla quaedam ponam, e quibus quae fuerit consuetudo eiusmodi excerpta inscribendi cognosci queat, Pauli Diaconi cod. Monacensis et Guelferbytanus sic inscribuntur: *excerpta ex libris Pompeii Festi de significatu verborum;* Martialis libri spectaculorum cod. Thuaneus hanc praebet inscriptionem: *ex libris M. Valeri Martialis epigrammaton breviatum.* Sed praepositio *de* ad significanda excerpta peraeque atque *ex* adhibetur: cf. quae eiusdem libri spectaculorum cod. Vossianus exhibet: *incipit excerptio de libris Martialis epigrammat̃;* Audacisque grammatici excerpta in cod. Bern. et Monac. sic inscribuntur: *Audacis de Scauri et Palladii libris excerpta per interrogationem et responsionem.* Quod in his inscriptionibus additum legitur vocabulum *excerpta* vel simile quid, eodem modo atque in Rutiliana illa codicum inscriptione saepissume omissum est: vide codicum inscriptiones quas praebet bibliothecae catalogus antiquus ecclesiae Centulensis sive S. Richarii: *De libris S. Augustini* . . *De libris S. Gregorii* . . *De libris Isidori* . . *De libris Origenis,* et cetera — et Coenobii S. Galli saec. IX, catalogus: . . . *De libris veteris testa-*

menti ... item de libris novi testamenti ... de libris beati Gregorii papae .. de libris Hieronimi PRBI .. De libris SCI Augustini EPI ... De libris SCI Ambrosii EPI .. De libris Prosperi EPI ... De libris Bedae PRBI ... De libris Ysidori EPI .. De libris Cassiodori .. De libris Eusebii et quae sqq.[1])

Videtur igitur Birtii hoc argumentum ex ipsis codicibus Rutilii petitum primo quasi obtutu vix posse refutari. At nihilominus hos duos quos habemus libros minime esse excerptos persuasissimum mihi est. Itaque cum in antecedentibus acquieverim in eo, ut et Dziąlasii et Blassii argumenta sufficere ad probandam eorum opinionem negarem, iam contra Birtium necesse est proferam quae in universum obstant, ne de excerptis ex integro Rutilio factis omnino cogitemus.

Atque a Quintiliano ut proficiscar, quem integro Rutilii libro usum esse constat, sedecim ille schemata lexeos Rutiliana memorat (IX II 101 *ἀντίθετον*, III 65 *παραδιαστολήν*, 89 *personae fictionem* = *προσωποποιίαν*, 91 *finitionem* = *ὁρισμόν*, 92 *ἀλλοίωσιν*, 93 *αἰτιολογίαν προσαπόδοσιν*, 99 *παρομολογίαν ἀναγκαῖον ἠθοποιίαν δικαιολογίαν πρόληψιν χαρακτηρισμόν βραχυλογίαν παρασιώπησιν παρρησίαν*): quae quidem ad unum omnia in duobus qui nobis praesto sunt libris exstant. Quodsi quis excerpsisset ipsius Rutilii schemata lexeos i. e. numerum quendam horum lexeos schematum omisisset, nonne optimo iure miraremur earum quas ille in excerpendo omisit figurarum ne unam quidem legi apud Quintilianum, cum tot ille figuras verborum, ut modo vidimus, ex ipso Rutilio afferat? Mea sententia inde, quod, quascunque figuras elocutionis Rutilii Quintilianus commemorat, harum nulla non legitur in illis duobus quos habemus libris, grave argumentum petere licet quo demonstretur ipsius Rutiliani qualis Quintiliano adfuit libri partem eam quae erat de schematibus lexeos non exhibuisse plures figuras quam his duobus qui aetatem tulerunt libris continentur.

Omnium autem maxume ipse numerus illorum quae etiamnunc exstant schematum lexeos — sunt enim quadraginta unum — obstat, ne excerpta esse ea ex libro qui multo etiam plura habuerit huius generis schemata putemus. Non quo plus quadraginta unam figuras verborum omnino nunquam notatas esse a rhetoribus

1) Quae ultimo loco posui exempla petita sunt ex libro quem scripsit Gustavus Becker de catalogis bibliothecarum antiquis (Bonnae a. 1885), ubi qui plura volet huiusmodi exempla inveniet.

credam: septuaginta fere schemata lexeos apud Quintilianum enumerantur, sexaginta unum carmen de figuris exhibet. Sed tenendum est quod supra statui ipso teste Quintiliano Rutilium non fuisse ex iis qui *nullum prope finem facerent exquirendis nominibus*. Quodsi introspicimus aliorum complurium libros quos non operam dedisse, ut figuras statuerent quam possent plurimas, satis constat, auctor ad Herennium quadraginta sex figuras verborum habet (re quidem vera tantummodo triginta sex sunt, cum, quas ultimo loco ille ponit decem exornationes verborum, eae postea inter tropos relatae sint), Cicero in tertio de oratore quadraginta unam enumerat, ipse etiam Quintilianus quadraginta fere, ex parte sine latinis appellationibus, accurate describit, cum triginta fere quae ipsi improbentur tantummodo nominatim afferat: nonne igitur cum his numerus figurarum quem duo libri Rutilii nomine servati praebent optime congruit? Nec desunt qui aliquanto etiam minorem numerum eius generis figurarum statuerint; cf. Pseudo-Rufinianum de schem. lex., qui viginti sex habet, omnesque illos qui vel epitomas fecerunt Alexandri Numenii libri vel hauserunt saltem ex illo, velut is qui proprie dicitur Alexandri Numenii epitomator viginti septem schemata lexeos habet, Phoebammo viginti sex, Tiberius viginti quinque, Zonaeus viginti sex.

Itaque cum plures verborum figuras quam in duobus libris servatis exstant, plus videlicet quadraginta unam numero posuisse ipsum Rutilium per se prorsus incredibile sit, sequitur, ut ex ipsius manu Rutilii hi duo libri profecti sint.

Fortasse dixerit quispiam, cum excerptos non esse eos libros certum sit, de epitome saltem posse cogitari, scilicet posterioris aetatis doctum quendam hominem figuras illas quidem omnes Rutilii retinuisse, sed definitiones contraxisse in brevius, etiam exempla quaedam omisisse.

Quaeritur, num etiam epitomas inscribendi ratio eadem fuerit quae in illa Rutilii codicum inscriptione cernitur. Atque incerti auctoris fragmentum quod inscribitur de praenominibus — additamentum hoc exstat in codicibus ad Valerii Maximi dictorum factorumque memorabilium libros novem — in cod. Vaticano epitomatoris Iulii Paridis et Bernensi Valerii Maximi hanc exhibet subscriptionem: *C. Titi Probi finit epitoma historiarum diuersarum exemplorumque Romanorum.* Aurelii Victoris vero epitoma in duobus codicibus Gudianis sic inscribitur: *libellus de uita et moribus imperatorum breuiatus ex libris Sex. Aurelii Victoris a Caesare Aug. usque ad Theodosium.* Atque etiam praepositionem *de*

usurpatam videmus in inscriptionibus quas praebent Flori cod. Bamb. et Nazar.: *epitoma Iulii Flori de T. Liuio bellorum omnium annorum DCC libri duo* et *L. Annei Flori epitoma de T. Liuio*. Quare etiam de epitome posse intellegi illam Rutilii codicum inscriptionem putaverim hunc in modum: P. Rutilii Lupi schemata lexeos (breviata) de libro secundo.

Quod utut est, si perlustramus ipsius Rutilii definitiones figurarum atque exempla, num forte quid requiritur in his, scilicet ut sint ampliores definitiones maiorque sit numerus exemplorum? Lege Zonaei libellum: hic quidem uno brevi enuntiato solet definitionem absolvere nec nisi unum exemplum unicuique figurae addit: hanc esse epitomen nemo non statim videt. Longe aliter res se apud Rutilium habet: descriptiones potius satis amplas quam distinctas brevesque finitiones esse eius figurarum definitiones supra exposui; nonnullorum schematum ibi plura genera describuntur, bina figurarum *προσαποδόσεως συναθροισμοῦ παραδιαστολῆς ἐπιβολῆς ἐπαναλήψεως μεταβάσεως ὁρισμοῦ προσωποποιίας*, tria *ἀντιθέτου*; sane septem figurae sunt singulis tantum exemplis illustratae, at viginti sex habent bina exempla, figurae *προσαποδόσεως συναθροισμοῦ ἀντιμεταβολῆς ἐπιβολῆς ἐπαναλήψεως προσωποποιίας* terna, figurae *συνοικειώσεως* et *ἀντιθέτου* etiam quaterna.

Nec nullius momenti puto quod verba illa quae alio nexu sententiarum supra memoravi II 12: *tamen quid intersit . . . multo diligentius* scilicet cognoscere poteris *ex Graeco Gorgiae libro, ubi pluribus uniuscuiusque ratio redditur* . . . absurda videntur, si epitomatorem ea scripsisse credimus: mea sententia si quis in brevius contrahere quae apud ipsum Rutilium legerat habebat in animo, ei haec quidem verba quibus ad Gorgiam relegamur plane omittenda erant — nisi forte quicunque epitomatorem statuerunt hunc prorsus stolidum hominem ac temerarium haberi volunt.

Sed nihil desiderari neque in descriptionibus figurarum neque in exemplis quo cogamur epitomatori attribuere illos duos libros probatum est.

Quae cum ita sint, cum neque de excerptis nec de epitome cogitare liceat, illa quae exstat in Rutilii libro altero inscriptio codicum *schemata lexeos de libro secundo* nihili facienda est: quae quemadmodum potuerit oriri, vix posse indagari puto. Accedit, quod talis inscriptio tantummodo secundi initio libri invenitur: nihil eiusmodi neque in inscriptione primi libri — eiusdem subscriptio deest — neque in alterius subscriptione legitur.

De iis autem quae primi initio libri et in fine alterius le-

guntur quid sit iudicandum, scilicet num inde escendere liceat ad genuinam Rutiliani libri inscriptionem, videbimus infra.

b) Ac ne alterum quidem illud quod huius initio paragraphi memoravi Birtii argumentum firmissimum mihi videtur esse.

Habet enim Rutilii liber primus, id quod ea ratione quam Birt indicavit annot. ad p. 310 effeci, versus trecentos septuaginta quinque[1]), alter trecentos septuaginta duos. At ille vir doctissimus librorum qui sunt prosa oratione conscripti accuratissima instituta comparatione cum maximum numerum versuum fere quinque milium invenisset, minimum numerum esse mille centum statuit: quapropter cum miraretur in duos libros dispertita apud Rutilium legi quae par esset uno volumine comprehendi, excerptos esse hos ipsos, videlicet dum volumina in codices redigerentur, censuit.

Sed non possum non adsentiri Erwino Rohde, qui in censura Birtii libri (vide Gött. Gel. Anz. a. 1882, vol. II maxume p. 1551 et quae sqq.), quamvis perraro acciderit, ut destinatum modum voluminis scriptores egrederentur, eo saepius infra illum quem Birt statuerat minimum numerum versuum eos descendisse rectissume monuit collegitque inde necessitatem quasi intra modum quendam sese continendi quae scriptoribus imposita sit ipsis voluminibus revera, maxume ad minimum numerum versuum quod attinet, nequaquam tantam fuisse quantam Birt vult. Neque ipsum illum fugit aliquanto esse minores modos adhibitos a compluribus (cf. Birt p. 322): ut exempla quaedam afferam librorum quorum numerus versuum sit longe infra illum numerum mille centum versuum, Caesaris belli Gallici liber III v. 638 habet, rhetoricorum ad C. Herennium l. I 620, Hermogenis *περὶ εὑρέσεως τόμος* A tantummodo 440, *τόμος* B 454. Nec vero quisquam adhuc excerptos esse hos libros aut epitomas contendit. Animadvertit ipse Birt eos potissimum, quorum munus esset aridam quandam ac ieiunam materiam tractare, respicientes legentium animos, ut voluminis modum quam possent minimum conficerent, operam dedisse indeque explicare studet, quod Vitruvius, Pomponius Mela, auctor ad Herennium, alii infra illum quem ipse statuerat minimum numerum versuum descenderunt[2]): referre eodem illi licebat mea

1) Fuit tamen primi libri numerus versuum paulo etiam maior, cum, quae in contextu verborum servato desiderantur inter I 5 et 6 atque I 21, ea ducere in hac ratione non liceat.

2) Rhetoricorum ad Her. l. I, ut modo dixi, 620 tantum versus habet; sed vel is numerus ipsi auctori ad Her. nimis magnus videtur fuisse, utpote qui in fine libri sic scribat: *quoniam satis huius voluminis*

sententia Rutilii hos duos libros rhetoricos. Quamquam igitur Aeliani var. hist. libros, quorum quintus tantummodo 160 versus exhibet, et Apicii de coquinaria libros, quorum l. I, II, III 200, IX 130, X 98 habet, excerptos haud dubie esse recte Birt censuit, non tamen suo iure eodem modo de Rutilii libris iudicasse eum puto, quorum numerus versuum nequaquam mihi videtur adeo exiguus esse, ut hos quoque libros adnumerari excerptis necesse sit.

Praeterea autem si fingimus ipsius Rutilii libros duos plures versus habuisse quam servati libri duo exhibent — exempli gratia pono sescentos fere, quamquam etiam hic numerus longe infra Birtii illum minimum numerum versuum est —, sequitur, ut sexaginta fere schemata lexeos hi duo libri continuerint. At iam recurrendum eo quod omnino potuisse plures figuras verborum exhibere ipsius Rutilii libros quam in servatis libris leguntur supra negavi.

Refutatis igitur etiam iis quae Birt attulit ut finem huic capiti imponam, ipsi Rutilio adscribendos esse hos duos qui illius nomine ad nos venerunt libros certissimum puto, ut genuini libri Rutiliani partem saltem quamvis ne hanc quidem plane integram — plures enim lacunae exstant, cf. I 6, I 21, II 1, II 5 — etiamnunc in manibus habeamus.

II.

GENVINA TOTIVS LIBRI RVTILIANI FORMA RESTITVITVR.

Transeo ad totius libri Rutiliani formam genuinam restituendam.

§ 4. De adiumentis quae ad restituendos Rutilii libros praesto sint.

Rem ipsam antequam aggredior, quaerendum, quibus liceat ad hanc alteram diiudicandam quaestionem adiumentis uti.

a) Atque apud rhetores latinos minores quorum libri praesto nobis sunt nomen Rutilii nusquam legitur. Quod certe minimi ponderis est. Nam praeterquam quod ne carminis quidem de figuris

magnitudo crevit, commodius est in altero libro de ceteris rebus deinceps exponere, ne qua propter multitudinem litterarum possit animum tuum defatigatio retardare.

auctor incertus Rutilium nominat idemque usus illo haud dubie est, ut alia quoque exempla afferam, Aquila Romanus hausisse se ex Alexandro Numenio nullo verbo indicat, quod tamen ex iis a quibus incipit Iulii Rufiniani additamentum: *hactenus Aquila Romanus ex Alexandro Numenio* compertum habemus atque etiam comparatio cum Alexandri Numenii quam habemus epitome docet; itemque Martianum Capellam magnam partem Aquilae libri descripsisse omisso eius nomine Ruhnken in editione Rutilii Lupi, Aquilae Romani, Iulii Rufiniani annot. ad pag. 149 recte monuit. Comparandae igitur cum ceteris figurae ipsae Rutilii sunt, ut, utrum hauserit ex eo latinorum posterioris aetatis rhetorum minorum quispiam necne, disceptemus.

At ne quis speraverit ex Aquila Romano, Iulio Rufiniano, Pseudo-Rufiniano, auctore incerto schematum dianoeas, Fortunatiano, Martiano Capella, Isidoro Hispalensi, Beda Venerabili — de auctore incerto carminis de figuris infra separatim agam — quicquam referri ad Rutilium posse: quod quo melius intellegatur, quae comparatione accuratissuma effeci, infra ponam, ita tamen ut figurarum definitiones et Rutilii et ceterorum quos specto rhetorum, quas suo quisque loco a me collato introspiciat, ne sim longus, omittam[1]):

Ac primum quidem multas figuras Rutilianas eodem sensu illas quidem, sed prorsus alia significatione earundemque nonnullas etiam inter schemata dianoeas ab illis quos supra enumeravi latinis rhetoribus fere omnibus positas vidi: vel hoc adversatur conicientibus illorum aliquem Rutilium secutum esse.

Pertinent autem huc hae Rutilii verborum figurae:

1) Cum graecis posterioris aetatis rhetoribus Rutilii figuras non comparabo, quippe qui latinorum rhetorum nunquam rationem habuisse videantur: ne Quintiliani quidem nomen apud ullum eorum qui post illum de figuris scripserunt legitur. Rutilium vero quod adhiberent, omnino non habebant hi graeci rhetores mea sententia, cum, si quidem haurire e tali fonte vellent, suum introspicere Gorgiam iis liceret, cuius Rutilius libros in latinum sermonem transtulerat. Rectius igitur cum ipso Gorgia hos graecos rhetores conferri iudico. — Ceterum eo quod hunc in modum separatim posteriores latinos rhetores minores et graecos conferam, differt mea ratio comparandi a Dzialasio, qui quidem p. 15—21 omnes una rhetores cum ipso Rutilio contulit; praeterea quadraginta unius Rutilii figurarum partem tantum, scilicet viginti tres ille contulit, ipse omnes comparabo; denique eam retractare comparationem ideo non supervacaneum duco, quod Dzialas, cui quidem Halmiana rhet. lat. min. editio a. 1863 parata nondum adfuit, plures qui de figuris scripserunt, velut Fortunatianum, Martianum Capellam, Isidorum, Bedam, in comparationem omnino non adduxit.

ἐπιβολή Rut. I 7; diversum nomen, quamvis eandem notionem praebent Aq. Rom. p. 29 et 32 (ex Halmii ed. rhet. lat. min.), quem sequitur Mart. Cap. p. 481, Pseudo-Ruf. de schem. lex. p. 49, Beda p. 609, qui omnes *ἐπαναφοράν* eam figuram nominant (Beda simul *ἀναφοράν* dicit); cf. etiam Fortun. p. 127.

ἐπιφορά Rut. I 8; *ἀντιστροφή* eadem figura apud Aq. Rom. p. 33 (cf. Mart. Cap. p. 481; vide etiam Fortun. p. 127), *ἐπιστροφή* apud Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 52 dicitur.[1])

κοινότης Rut. I 9; at eandem *συμπλοκήν* Aq. Rom. p. 31 (cf. Mart. Cap. p. 482) vocat.

διαφορά Rut. I 12; eandem *ἀντανάκλασιν* Isidorus p. 519, *ἀντίστασιν* Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 54, *πλοκήν* Aq. Rom. p. 31 (cf. Mart. Cap. p. 481) dicit. — Ceterum Isidorus huius figurae affert exemplum Proculeianum, quod et apud Rut. I 5 et apud Quint. IX III 68 legitur: at petitum hoc esse non e Rutilio, sed ex Quintiliano manifestum est, qui item ut Isidorus in brevius contractum rettulit quod pluribus exposuit Rutilius; praeterea hoc apud Quint. item ut apud Isidorum *ἀντανακλάσεως* sive *διαφορᾶς* figurae, apud Rut. vero *ἀνακλάσεως* I 5 exemplum legitur.

ἐπιπλοκή Rut. I 13; eadem fig. *κλῖμαξ* apud Aq. Rom. p. 34 (cf. Mart. Cap. p. 482), Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 52, Isidor. p. 517.

διάλυσις Rut. I 15; eadem fig. *ἀσύνδετον* apud Aq. Rom. p. 35, quem sequitur Mart. Cap. p. 482 (vide etiam Fortun. p. 126), *ἀσύνδετον* vel *διάλυτον* apud Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 52, Bedam p. 611.

μετάνοια Rut. I 16; eandem *ἐπανόρθωσιν* Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 52 vocat.

πρόληψις Rut. II 4; contra eandem figuram *προκατάληψιν* Ps.-Ruf. de schem. dian. p. 60, auctor inc. schem. dian. p. 75, Isid. p. 520 (item inter schemata dianoeas), *προπαρασκευήν* sive *προκατασκευήν* Fortun. p. 110 (inter partes orationis, non inter figuras), *προϋπεργασίαν* vel *προπαρασκευήν* Iul. Ruf. p. 46 appellat.

ἀπορία Rut. II 10; eadem *διαπόρησις* apud Aq. Rom. p. 25 (inter schem. dian.), auct. inc. schem. dian. p. 75.

παρασιώπησις Rut. II 11; eandem *παράλειψιν* Aq. Rom. p. 24 (inter schem. dian.; cf. Mart. Cap. p. 478), auctor inc. schem. dian. p. 74 dicit. —

1) Erravit Dzial. p. 17, cum *ἐπιφοράν* Rutilianam a Ps.-Ruf. de schem. lex. *ἐπαναδίπλωσιν* appellatam contenderet: fig. *ἐπαναδιπλώσεως* quae apud illum exstat p. 50 *(cum idem verbum in eadem sententia et primum est et extremum)* longe est alia, eadem scilicet atque ea quam *προσαπόδοσιν* Aq. Rom. p. 32 vocat; cf. Quint. IX III 34, qui de hac ipsa figura verba facit *(respondent primis et ultima)* omissa appellatione.

Deinde figurae multae Rutilii sane eodem nomine eodemque sensu apud illos rhetores latinos nobis occurrunt; sed praeterquam quod hae fere omnes sunt vulgatissimae, ut, quod consentiant cum ceteris, non sit mirandum, ad verbum si definitiones comparamus inter se, non intercedere similitudinem tantam, ut e Rutilio hausisse illorum quispiam putandus sit, adparet; praeterea autem harum quae eodem nomine eodemque sensu etiam apud alios exstant figurarum plures, quae apud ipsum Rutilium sunt verborum, alibi inter sententiarum figuras enumerantur.

Huc numerandae figurae hae: *παρονομασία* Rut. I 3; cf. Aq. Rom. p. 30 (Mart. Cap. p. 481), Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 51, auct. inc. schem. dian. p. 75, Bedam p. 609 (vide etiam Fortun. p. 127); apud quos omnes definitionum ipsa verba a Rutilii eiusdem et nominis et notionis figura valde differunt (unus etiam inter schem. dian. eam refert).

Idem cadit in ceteras figuras quas infra ponam:

παραδιαστολή Rut. I 4; cf. Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 43, Isid. p. 518.[1]) — Quod Isid. habet exemplum *παραδιαστολῆς*, quamquam etiam apud Rut. legitur I 4, tamen ex Quintiliano potius IX III 65, sicut sequentis apud eundem Isid. figurae *ἀντανακλάσεως* exemplum, petitum est.

πολύπτωτον Rut. I 10; cf. Aq. Rom. p. 33 (Mart. Cap. p. 482; vide etiam Fortun. p. 126), Bedam p. 610.

ἐπανάληψις Rut. I 11; cf. Aq. Rom. p. 31 (Mart. Cap. p. 481), Iul. Ruf. p. 46, Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 49, Bedam p. 609.

πολυσύνδετον Rut. I 14; cf. Bedam p. 611.

παρένθεσις Rut. I 17; cf. Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 51, Bedam p. 614.

προσωποποιία Rut. II 6; cf. Aq. Rom. p. 29, Ps.-Ruf. de schem. dian. p. 62, auct. inc. schem. dian. p. 72, Isidor. p. 514 et 522, apud quos omnes inter schemata dianoeas legitur.

χαρακτηρισμός Rut. II 7; cf. auct. inc. schem. dian. p. 72, Isidor. p. 521, apud utrumque inter schem. dian.

ἀπορία Rut. II 10 (vide supra); cf. Iul. Ruf. p. 40 (ubi etiam *διαπόρησις* vocatur), Isid. p. 520 (inter schem. dian.).

ὁμοιόπτωτον Rut. II 13; cf. Aq. Rom. p. 30 (Mart. Cap. p. 480), Bedam p. 610.

1) Per errorem igitur Dzialas p. 16 non apud alios eam appellationem inveniri statuit: quales errores qui apud eum saepius occurrunt, cum ex parte inde explicandi sint, quod posteriorum rhetorum plures non introspexit, ex hoc inde loco non iam memorabo.

ἰσόκωλον Rut. II 15; cf. Aq. Rom. p. 30 (Mart. Cap. p. 480).

ἀντίθετον Rut. II 16; cf. Aq. Rom. p. 29 (Mart. Cap. p. 480), Isid. p. 518.

ἐπιτροπή Rut. II 17; cf. Iul. Ruf. p. 45, Isid. p. 520 (inter schem. dian.).

παρρησία Rut. II 18; cf. Iul. Ruf. p. 46, Isid. p. 520 (inter schem. dian.).

αἰτιολογία Rut. II 19; cf. auct. inc. schem. diav. p. 73, Isid. p. 521, apud utrumque inter schem. dianoeas. —

Tum complurium figurarum, quarum quidem nonnullas apud ceterorum rhetorum plerosque eodem sensu, sed alio nomine exstare supra demonstravi, apud quosdam rhetores nomina plane eadem leguntur, sed longe aliud quid ibi significant, veluti:

προσαπόδοσις Rut. I 1; quod idem nomen apud Aq. Rom. p. 32 (cf. Mart. Cap. p. 481) legitur, ea tamen notione, ut eadem haec sit figura atque ἐπαναδίπλωσις apud Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 50.

συναθροισμός Rut. I 2; eodem nomine auctor inc. schem. dian. p. 75 utitur, cuius tamen figura συναθροισμοῦ prorsus singularem habet vim et a Rutilii figura alienam.[1])

ἐπιβολή Rut. I 7 (vide supra); quam eiusdem nominis figuram (*ἐπιβολήν sive iniectionem*) Aq. Rom. p. 36 habet, hanc esse speciem quasi ὑπεζευγμένου figuras statuo.

ἐπανάληψις Rut. I 11 (vide supra); nec figura ἐπαναλήψεως vel ταυτολογίας apud inc. auct. schem. dian. p. 76, quae est eadem atque tautologia vel ἐπανάληψις apud Quint. VIII III 51, neque illa apud Isid. p. 521, quae eadem est atque ἄφοδος apud Quint. IX III 87, quicquam habent cum Rutiliana commune.

1) Hoc loco facere non possum quin adverser Volkmanno p. 473 per errorem adfirmanti Quintilianum VIII IV 27 non solum plurium rerum congeriem, sed etiam unius rei multiplicationem συναθροισμόν vocasse. Immo tantummodo *plurium rerum congeriem,* quam ab illa altera figura disertis verbis separat VIII IV 27, συναθροισμόν Quintilianus dicit, *unius rei multiplicationem* graece omnino non appellat; cf. apud eundem IX III 45: *congregantur quoque verba idem significantia* (§ 46: *hoc Caecilio πλεονασμός videtur* ...) = *unius rei multiplicatio* et § 48: *congeruntur et diversa* = *plurium rerum congeries* vel συναθροισμός. Ac consentit Quintilianus cum Rutilio, qui item — vide exempla — συναθροισμόν tantummodo plurium rerum congeriem esse voluit: hanc quidem figuram apud ceteros latinos rhetores praeter auct. inc. carm. de fig. v. 139 nusquam inveniri, cum revera omnino non sit figura, non est quod miremur; illa altera, unius rei multiplicatio, quam esse *arte aliqua novatam formam dicendi* nemo negabit, saepius apud posteriores legitur: συνωνυμία apud Aq. Rom. p. 34 (cf. Mart. Cap. p. 482), Isid. p. 518 vocatur.

μετάβασις Rut. II 1; inter hanc et *μετάστασιν* vel *μετάβασιν* apud Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 54 similitudo nulla intercedit.[1])

πρόληψις Rut. II 4 (vide supra); quae est fig. *προλήψεως* apud Ps.-Ruf. de schem. lex. p. 48 et Isid. p. 608, minime quadrat in eiusdem nominis figuram Rutilii, sed potius ratio dicendi est, quod videam, quam *ὕστερον πρότερον* Cicero vocat, Diomedes grammaticus inter tropos numerat *ὑπερβάτου* tropo subiungens.

παρόμοιον Rut. II 12; longe alia eiusdem nominis figura apud Bedam p. 610, eadem scilicet quae apud Mart. Cap. p. 474 homoeoprophoron dicitur neque inter figuras, sed inter vitia orationis, nimias videlicet litterarum adsiduitates, refertur.

Denique figurae quaedam sic ut Rutilius appellat eas definitque apud hunc leguntur solum i. e. neque alio nomine, sed eodem sensu neque eodem nomine eodemque sensu neque eodem nomine, sed alio sensu apud ullum eorum quos conferendos mihi proposueram rhetorum inveniuntur; quo referendae sunt e Rutilii figuris quadraginta una hae decem numero:

ἀνάκλασις I 5; *μερισμός* I 18; *παρομολογία* I 19; *ἀναγκαῖον* I 20; *ἀλλοίωσις* II 2; *δικαιολογία* II 3; *ὁρισμός* II 5; *βραχυλογία* II 8; *συνοικείωσις* II 9; *τάξις* II 20.[2])

Itaque cum verborum hae Rutilii figurae ab iis quas modo contuli omni in re discedant, ut illorum rhetorum nemini in componendis figuris suis adfuisse eas certum sit, de sententiarum figuris Rutilii deperditis idem statuendum est nec potest igitur, ut recurram eo quapropter hanc comparationem omnino institui, ad restituendnm librum Rutilii ex his quos comparavi posterioris aetatis rhetoribus fructus ullus percipi.

b) Restat, ut comparem ex rhetoribus latinis minoribus incerti auctoris carmen de figuris.

1) Ipse Rutilius qualem hanc figuram *μεταβάσεως* esse voluerit, non satis intellego: duas enim diversas figuras videtur uno nomine complexus esse, cum unum exemplum, ni fallor, eius sit figurae quae ceteroquin *ἀποστροφή* dicitur, alterum illius quam Quint. *ἄφοδον*, Isid. *ἐπανάληψιν* appellat.

2) Omisi hac in comparatione figuram eam quae Rut. I 6 legitur, ubi quidem lacuna in codicibus exstat (nomen *ἀντιμεταβολῆς* ex carmine de figuris Halm substituit), praeterea *ἠθοποιίαν* I 20, cuius definitio interiit, *ὁμοιοτέλευτον* II 14, cuius definitio quae est nulla — accedit exemplum ei figurae quae apud ceteros hoc nomine occurrit non accommodatum — vetat in comparationem eam adducere (ceterum de Rut. II 12—14 vide quae alio nexu sententiarum supra disputavi).

Inter hoc et Rutilium qualis intercedat ratio, cum maxume Dzialas p. 21—28 et Herm. Krupp in libello de carmine incerti auctoris de figuris Ienae a. 1874 edito (cf. etiam R. Schmidt: carmen de figuris vel schematibus qua sit aetate conscriptum. ed. Ienae a. 1874) iam satis superque inquisiverint, ipse, ne acta agam, quae constare videntur hoc loco paucis comprehendisse satis habebo.

Atque carmen de figuris non ante quartum p. Chr. saeculum (cf. Krupp p. 28), fortasse Iulii Rufiniani temporibus quarti initio saeculi (cf. Schmidt p. 22) compositum, ad quam definiendam aetatem et sermo incerti auctoris et res metrica plurimum valet (cf. Krupp p. 23—28, Schmidt p. 11—22)[1], lexeos tantum schemata praebet, id quod et carminis ipsius v. 1 et comparatio cum Rutilio docet. Habet autem partes duas, quarum prior tribus primis prooemii versibus et vv. 13—150, posterior prooemii vv. 4—12 et vv. 151—186 constat; in priore ex ordine alphabetico figurae enumerantur, in posteriore, quod quasi supplementum est ad antecedentes figuras, is ordo neglegitur (cf. Krupp p. 6, Schmidt p. 5 et 6). Atque in vv. 13—150 versificator usus est Rutilio ita, ut ab initio usque ad finem primum eas figuras notaret quae a littera α inciperent, deinde quae a littera β, γ totumque alphabetum graecum percurreret (cf. Dzial. p. 21—24). Quod non est semper is ordo servatus, non mirum, quia plures figurae artissume inter se coniunctae leguntur apud Rut., ut ne versificatori quidem eas divellere veniret in mentem (cf. ibidem p. 24—26). Nonnullas Rutilii figuras ideo haud dubie versificator non recepit, quod ipsi sententiarum potius videbantur esse (cf. Schmidt p. 7). Sed praeter figuras eas e Rutilio petitas in hac ipsa priore parte plures exstant quas versificator solus habet, ut adpareat eum praeter Rutilium alios etiam scriptores nobis ignotos adhibuisse et unaquaque littera a qua incipiant Rutilii figurae absoluta quaslibet ex iis figuras supposuisse; ex ipso Gorgia haec petita esse nullo modo possunt ideo, quod Quintilianus, ubi inusitatas Rutilii figuras enumerat, harum quidem nullam memorat (cf. Dzial. p. 26—28). In prooemii vv. 4—12 et vv. 151—186 versificatorem hausisse ex Alexandro Numenio manifestum est (cf. Dzial. p. 28, Schmidt p. 8 et 9). Ipsas autem has duas partes, cum in priore parte descriptio figu-

1) Rectissuma haec est ratio aetatem carminis indagandi, si verum est quod Mauritius Haupt contendit Messium, quem auctor carminis in exordio alloquitur, intellegendum esse Messium Arusianum, qui exempla elocutionum Olybrio et Probino anni p. Chr. n. 395 consulibus dedicavit (cf. Hauptii opusc. III p. 427, 428 [= Hermae t. III p. 223] et 634).

rae uno semper versu absolvatur, duobus insequentibus exempla addantur, at in altera octies ea consuetudo neglegatur cumque in altera complures figurae tractentur, quae aliis nominibus iam in priore descriptae sunt, a diversis auctoribus esse profectas veri est simillimum (cf. Krupp p. 7—11, Schmidt p. 9), ita ut carmen quae eius fuit forma principalis secundum Rutilium prooemii vv. 1—3 et vv. 13—150 praeter fig. πάντα πρὸς πάντα vv. 136—138, quae pluribus de causis non potest nisi ab alio quodam addita esse (cf. Krupp p. 12), constet, prooemii autem vv. 4—12 et vv. 151—186 ab alio auctore, fortasse ab huius versificatoris discipulo quodam, qui ex Alexandro Numenio figuras plures in exemplari suo huius carminis in usum scholarum compositi notavit, adiectos esse probabile sit (cf. Schmidt p. 10).

Hactenus adsentior his viris doctis: illud tamen mihi improbatur quod Dzialas credit iam in eo exemplari Rutilii quo versificator usus est illam lacunam fuisse quae in Rutilii libro qualem nos habemus I 5—6 exstat (cf. Dzial. p. 27; vide etiam Teuffelii-Schwabii hist. litt. rom. p. 648 ann. 3). Quaeritur enim, ea lacuna quemadmodum explenda sit. Ac Dzialas inter I 5 et 6 plures intercidisse figuras opinatur: hoc vero iure negavit Draheim, cum p. 15 fig. ἀντιμεταβολῆς simillimam esse proxime antecedentium ἀνακλάσεως et παραδιαστολῆς, has scilicet omnes fieri notionum aut verborum similitudine ac mutatione moneret.[1]) Revera igitur apud Rut. I 6 unius tantummodo nomen figurae ac definitio primique exempli pars interierunt; at in carm. de fig. v. 16 leguntur haec: *ἀντιμεταβολή permutatio fit vice cum convertimu' verba;* quae figura habet duo exempla: unum idem est Theophrasteum quod apud Rut. I 6 legitur, alterum ex Alex. Num. (cf. Alex. Num. p. 37 ex Spengelio) petitum est. Itaque hoc loco versificator Rutilio usus est nondum ita mutilato, qualem nunc habemus, ut illa lacuna post illius demum tempora i. e. post quartum saeculum orta sit.

Ad totum igitur librum Rutilii restituendum ne hoc quidem carmen quicquam confert: tantummodo ad lexeos schemata pertinet quod apud Rut. I 6 nomen ἀντιμεταβολῆς legendum esse ex eo carmine peraeque atque ex Alexandro Numenio discimus.

c) Quo aegrius ferendum, quod alius cuiusdam qui post Rutilium fuit scriptoris latini, quem hausisse ex illo satis constat, totius libri pars ea quae cum in rhetorica tum in figuris describendis

1) Idem p. 3, quod Ruhnken suspicatus est sententiarum figuras, quae cum a Quintiliano commemorentur, apud Rut. non exstent, inter I 5 et 6 tractatas fuisse, recte refutavit.

versata est interiit. Quintilianus enim IX II 102 tradit praeter illa quae Cicero inter lumina posuit sententiarum multa alia et Rutilium Gorgiam secutum posuisse schemata et, videlicet Rutilio accedentem, Celsum, illum A. Cornelium Celsum qui encyclopaediam, ut ita dicam, qua rei rusticae et militaris et medicinae et rhetoricae et philosophiae et iuris continebantur praecepta, conscripsit, quorum tamen librorum omnium de medicina libri octo soli aetatem tulerunt. Is igitur Celsus dicitur accessisse Rutilio; accedit autem alicui, ut Ruhnkenii verbis utar quae in eius edit. Rut. Lupi, Aq. Rom., Iul. Ruf. praef. p. XIV leguntur, is qui sententiam alterius sequitur, probat, ut in figurarum tractatione adfuisse illi Rutilium manifestum sit.

Hunc autem Celsum cum idem ille e quo eum usum esse Rutilio cognitum habemus Quintilianus in figurarum descriptione saepius memoret, quaeritur, possitne horum quicquam nobis ad cognoscendam genuinam Rutilii formam usui esse. Sed eos locos quibus in noni libri cap. I—III Celsi nomen occurrit si introspicimus, primum in tertio capite quod est de verborum figuris ille omnino non nominatur (quamquam etiam de verborum figuris Celsum egisse per sese quasi intellegitur et, cum Rutilium ab eo adhibitum esse certum sit, ex verborum quoque illius figuris hausisse eum veri simillimum est), deinde in altero capite quod est de sententiarum figuris non solum Rutilium adfuisse Celso videmus ex paragr. 102, verum etiam Visellium (§ 106: *Visellius, quamquam paucissimas faciat figuras, ἐνθύμημα tamen, quod commentum vocat, et rationem appellans ἐπιχείρημα inter eas habet. Quod quidem recipit quodammodo et Celsus: nam consequens an epichirema sit dubitat)* multasque praeterea eum ipsum finxisse figuras ex paragr. 104 elucet (*praeter haec Celsus excludere, adseverare, detrectare, excitare iudicem, proverbiis uti, et versibus et ioco et invidia et invocatione intendere crimen, quod est δείνωσις, adulari, ignoscere, fastidire, admonere, satisfacere, precari, corripere figuras putat* scilicet sententiarum); etiam quae leguntur § 22 (§ 20: *communicatio* . . .; § 22: *sed nonnumquam communicantes aliquid inexpectatum subiungimus, quod et per se schema est . . hoc Celsus sustentationem vocat*) et § 40 *(illa vero, ut ait Cicero, sub oculos subiectio tum fieri solet, cum res non gesta indicatur, sed ut sit gesta ostenditur, nec universa, sed per partis: quem locum proximo libro subiecimus evidentiae, et Celsus hoc nomen isti figurae dedit)* ad ipsius ingenium referenda sunt. Itaque tantummodo eas quae § 103 leguntur sententiarum figuras (*consummationem* . . *διαλλαγήν*, *consequens* . . *ἐπακολούθησιν*, *collectionem* . .

συλλογισμόν, minas .. κατάπληξιν, exhortationem .. παραινετικόν) e Rutilio petitas esse a Celso extra omnem dubitationem est: sed de his duabus paragraphis 102 et 103 infra plura verba faciendi offeretur occasio.

d) Iam sunt comparandi graeci posteriorum temporum rhetores, quos cum usos esse, si quidem usi sunt, ipso Rutilio nec potius Gorgia suo absimile vero supra iudicaverim, hi quidem cum ipso Gorgia rectius conferuntur. Ac ne quis, cum meminerit ipsum Gorgiae librum temporum iniuria periisse, eiusmodi rationis comparandi fundamenta desideret, haec e ratione quae intercedit inter Rutilium et Gorgiam petenda sunt. Sed utrum omnes ad unam Gorgiae figuras Rutilius transtulerit necne, hoc quidem loco nil refert — vide tamen quae infra in capite tertio ea de re disputabo —, nam illud certe dubium non est, quin hae verborum figurae quadraginta una numero, quae nobis praesto sunt, e Gorgia cunctae translatae sint nec nomina solum eadem apud Gorgiam, verum etiam eandem vim habuerint, ut has Rutilianas easdem Gorgianas dicere liceat: iure igitur quodam mihi videor Gorgiam, etiamsi huius libros de figuris quattuor in manibus non iam habemus, cum ceteris qui post eum fuerunt rhetoribus graecis comparaturus esse.[1])

Sed praeterquam quod nomen Gorgiae apud ceteros omnes quorum libros habemus rhetores graecos nusquam legitur[2]), similis instituta comparatio edocuit me ex illis — ratio autem maxume Alexandri Numenii epitomatoris, Phoebammonis, Tiberii, Herodiani, Zonaei, trium praeterea qui de figuris scripserunt anonymorum habenda est — nil posse ad Gorgiam sive Rutilium referri. Iisdem quas supra statui quattuor quasi categoriis subiungere singulas figuras licet:

Ac primum figura *ἐπιβολῆς* Gorg. (Rut. I 7) eodem illa quidem sensu, sed prorsus alio nomine legitur apud Alex. Num. p. 20 (ex Spengelii ed. rhet. graec. vol. III) inter schem. dian. et p. 29 inter schem. lex., Phoeb. p. 46, Tiber. p. 72, Zon. p. 164, anon.

1) Ex illis quos cum Rutilio contuli latinis rhetoribus neminem usum esse Gorgia luce est clarius, quippe quos ne Rutilium quidem adhibuisse demonstraverim. Quintilianum in manibus habuisse Gorgiae librum accurate demonstrari nequit: certe Rutilium is quam illum graecum hominem laudare maluit. — Ceterum apud latinos scriptores Gorgiae nomen praeter Ciceronem (cf. Cic. ep. XVI, 21) et Quintilianum apud Senecam nobis semel occurrit, qui in controv. l. I c. IV eum declamationes scripsisse testatur, cf. Ruhnk. praef. p. XI.

2) Ex aliis graecis scriptoribus tantummodo Plutarchus in vita Ciceronis p. 873 eius mentionem facit, cf. Ruhnk. praef. p. XI.

p. 181, qui omnes ἐπαναφοράν eam dicunt (Phoeb. p. 46 simul ἀναφοράν vocat).

Eodem modo ἐπιφορά Gorg. (Rut. I 8) ἀντιστροφή apud Alex. Num. p. 29, Phoeb. p. 56, Tib. p. 74, anon. p. 132, Zon. p. 166, anon. p. 112 vocatur.

κοινότης Gorg. (Rut. I 9) συμπλοκή ἢ σύνθεσις apud Alex. Num. p. 30, Zon. p. 166, anon. p. 183.

διαφορά Gorg. (Rut. I 12) ἀντιμετάθεσις ἢ σύγκρισις ἢ πλοκή apud Alex. Num. p. 37, πλοκή apud Phoeb. p. 56, 10.

ἐπιπλοκή Gorg. (Rut. I 13) κλῖμαξ apud Alex. Num. p. 31, Tib. p. 72, Herod. p. 99, anon. p. 133, Zon. p. 166, anon. p. 183.

διάλυσις Gorg. (Rut. I 15) ἀσύνδετόν apud Phoeb. p. 45, Tib. p. 77, Zon. p. 109, anon. p. 186.

μετάνοια Gorg. (Rut. I 16) ἐπιτίμησις apud Alex. Num. p. 40, ἐπιδιόρθωσις apud Tib. p. 62 inter schem. dian., anon. p. 142.

πρόληψις Gorg. (Rut. II 4) προκατάληψις apud Alex. Num. p. 16, Phoeb. p. 51, Zon. p. 161, anon. p. 175.

χαρακτηρισμός Gorg. (Rut. II 7) εἰκονισμός apud Polyb. p. 108.

ἀπορία Gorg. (Rut. II 10) διαπόρησις apud Alex. Num. p. 24, Phoeb. p. 54, Tib. p. 61, Zon. p. 163, anon. p. 179, qui omnes inter schem. dian. eam numerant.

παρασιώπησις Gorg. (Rut. II 11) παράλειψις apud Alex. Num. p. 23, Phoeb. p. 51, Tib. p. 60, anon. p. 149, Zon. p. 163, anon. p. 178, apud omnes hos inter schem. dian.

ἀντίθετον Gorg. (Rut. II 16) ἀντίθεσις apud Alex. Num. p. 36, Herod. p. 98.

Deinde fig. συναθροισμοῦ Gorg. (Rut. I 2) eodem nomine eademque notione legitur apud Alex. Num. p. 27, Zon. p. 162, anon. p. 176, sed in definitionum singulis verbis consensus frustra quaeritur; praeterea apud hos omnes inter sententiarum figuras enumeratur.

Similis est ratio

παρονομασίας Gorg. (Rut. I 3); cf. Alex. Num. p. 36, Phoeb. p. 47, Tib. p. 71, Herod. p. 95, Zon. p. 168, anon. p. 185.

ἐπιβολῆς Gorg. (Rut. I 7); cf. Phoeb. p. 55 et 56.[1])

1) Hoc nomen ἐπιβολῆς cum apud Phoeb. legerem, qui in appendice hanc figuram nomine ἐπαναφορᾶς iam antea a se descriptam repetit eandemque dicit esse atque ἀναφοράν (= ἐπαναφοράν), illum opinabar in appendice saltem, ubi exponere vult: πῶς ἕκαστον γίγνεται ταὐτό figurasque in antecedentibus ex parte iam tractatas affert non definitas, sed exemplis illustratas, e Gorgia hausisse, quia nomen ἐπιβολῆς eo sensu quo legitur apud Gorg. (Rut. I 7) neque apud graecos rhetores neque apud

πολυπτώτου Gorg. (Rut. I 10); cf. Alex. Num. p. 34, Herod. p. 97, anon. p. 138, Zon. p. 168.

ἐπαναλήψεως Gorg. (Rut. I 11); cf. Alex. Num. p. 19 (inter schem. dian.).

διαλύσεως Gorg. (Rut. I 15); cf. Herod. p. 99 (vide supra).

μερισμοῦ Gorg. (Rut. I 18); cf. Herod. p. 94, anon. p. 120.

ὁρισμοῦ Gorg. (Rut. II 5); cf. Herod. p. 98.

προσωποποιίας Gorg. (Rut. II 6); cf. Alex. Num. p. 19, Phoeb. p. 52, Zon. p. 162, anon. p. 177, apud hos omnes inter schem. dian.

ὁμοιοπτώτου Gorg. (Rut. II 13); cf. Alex. Num. p. 36, Herod. p. 97, Zon. p. 169, anon. p. 186.

ἰσοκώλου Gorg. (Rut. II 15); cf. anon. p. 155.

ἀντιθέτου Gorg. (Rut. II 16); cf. Tib. p. 78, anon. p. 112, Zon. p. 169, anon. p. 186 (vide supra).

αἰτιολογίας Gorg. (Rut. II 19); cf. Alex. Num. p. 17, Zon. p. 162, apud utrumque inter schem. dian.

Tum figurae *προσαποδόσεως* Gorg. (Rut. I 1) nomen illud quidem legitur apud Phoeb. p. 56, sed diversa notio, similis scilicet — vide exemplum — *συμπλοκῆς* figurae.

Eodem modo *ἐπανάληψις* Gorg. (Rut. I 11) alia apud Phoeb. p. 46, Zon. p. 164, anon. p. 181, apud quos *ἐπαναμνήσεως* potius habet vim (vide supra).

ἀλλοίωσις Gorg. (Rut. II 2) diversa ab eiusdem nominis figura apud Alex. Num. p. 23, Tib. secundum Caecilium p. 80, Zon. p. 168, apud quos mea sententia eadem est atque *ὑπαλλαγή* vel *μετωνυμία* (cf. Quint. IX III 92), quae ceteroquin inter tropos ponitur.

χαρακτηρισμός Gorg. (Rut. II 7) non prorsus eandem vim habet apud Polyb. p. 108, respondentem magis ei quam nos solemus huic voci tribuere (vide supra).

ἐπιτροπή Gorg. (Rut. II 17); ad iudiciale genus magis pertinet quae eiusdem nominis figura apud Herod. p. 98 legitur.

αἰτιολογία Gorg. (Rut. II 19) eodem nomine occurrit apud anon. p. 175, apud quem tamen illam potius habet vim — vide exemplum — quam *προσαπόδοσις* apud Gorg. (Rut. I 1). —

latinos usquam occurrit (etiam auctor carm. de fig. v. 34 nomen *ἐπαναφορᾶς* habet). Sed ea spe deceptus sum: non enim dubium, quin Phoebammo, si revera in appendice adhibuisset Gorgiam, figuram *ἐπαναφορᾷ* vel *ἐπιβολῇ* contrariam secundum Gorgiam *ἐπιφοράν* fuerit appellaturus: at *ἀντιστροφή* ibi vocatur, quod est nomen usitatum. Praeterea fig. *προσαποδόσεως* quae ibidem exstat nil habet cum Gorgiana commune, et Phoebammonis fig. *κλίμακος* apud Gorg. *ἐπιπλοκή*, *πλοκῆς* fig. apud illum *διαφορά* vocatur (vide supra).

Denique propriae Gorgiae sive Rutilii sunt neque apud alium quemquam eodem modo appellatae definitaeque exstant hae figurae tredecim:

παραδιαστολή Gorg. (Rut. I 4); *ἀνάκλασις* I 5; *πολυσύνδετον* I 14; *παρένθεσις* I 17; *παρομολογία* I 19; *ἀναγκαῖον* I 20; *μετάβασις* II 1; *δικαιολογία* II 3; *βραχυλογία* II 8; *συνοικείωσις* II 9; *παρόμοιον* II 13; *παρρησία* II 18; *τάξις* II 20.[1])

Adparet igitur apud Graecorum posterioris aetatis rhetorum qui figuras tractaverunt nullum vestigia quibus ad Gorgiam ducamur posse deprehendi, ut ne horum quidem libri ulla in re ad investigandum, quae libri Rutiliani genuina fuerit forma, nobis emolumento sint.[2])

1) Iisdem quibus supra de causis omisi in ea comparatione figuras *ἀντιμεταβολῆς ἠθοποιίας ὁμοιοτελεύτου.*

2) Omni igitur in re Gorgiae sive Rutilii schemata lexeos discedere a ceteris qui postea hanc materiam tractaverunt ex tota hac comparatione satis superque elucet. Sed quaeritur, num revera omnino adeo singularem locum qualis potest videri ex ea comparatione illae figurae obtineant. Quam ad disceptandam quaestiunculam easdem figuras cum iis qui ante Quintiliani aetatem seu non multo ante Gorgiam seu iisdem fere quibus ille scripsit temporibus de figuris egerunt, quorum quidem libros etiamnunc in manibus habemus, scilicet cum incerto auctore rhetoricorum ad Herennium ac cum Cicerone, cuius quidem soli de oratore libri hanc in partem introspiciendi sunt, accurate contuli. Quam comparationem omnem hoc loco ponere supersedere possum: ut eius summam faciam, multas figuras vulgatiores, quas Rutilius habet, legi etiam apud auct. ad Her. Ciceronemque nullius certe momenti est. Ac ne id quidem, quod plures figurae ceteroquin rarae ibidem occurrunt, multum referre puto. Illud vero gravissimum iudico, quod figuras quasdam, quae, excepto videlicet Quintiliano carminisque de figuris incerto auctore, apud nullum omnino posteriorum rhetorum leguntur, Gorgias sive Rutilius communes habent cum auctore ad Her. ac Cicerone, veluti *προσαπόδοσιν μερισμόν δικαιολογίαν βραχυλογίαν τάξιν.* Valdeque observandum mihi videtur Rutilii verborum figuras *παρασιωπήσεως ἐπιτροπῆς αἰτιολογίας*, quae postea tantummodo inter dianoeas schemata sunt habitae, in auctoris ad Her. Ciceronisque libris peraeque atque apud ipsum Rutilium inter lexeos schemata enumerari. Quemadmodum igitur auctoris ad Her. rhetoricorum libros quattuor et Ciceronis de oratore libros tres tum utriusque libri eas potissimum partes, quae in describendis figuris versantur, cognationis quodam vinculo esse coniunctas inter sese a viris eruditis iam pridem statutum est, sic Gorgiae sive Rutilii figuras, quas, qui adhuc in Rutilium inquisivere, velut Dzialas et Draheim, prorsus singularem obtinere locum rati sunt, fontium quadam communione accedere ad auctoris ad Her. et Ciceronis figuras non posse negari credo: quamquam quales hi ipsi fuerint fontes, certa argumentatione indagari vix poterit.

e) Eo magis gaudere debemus, quod integro Rutilii libro usus est Quintilianus in institutionis oratoriae libro nono: cuius quidem verba quae ad Rutilium spectant si quam accuratissume consideramus, permulta inde possumus elicere ad id quod propositum est diiudicandum.

§ 5. Num Rutilius sententiarum figuras suas eodem modo atque figuras verborum definiverit exemplisque illustraverit.

Iam ut ad rem ipsam accedam, primo loco exsistit quaestio, num Rutilius sententiarum figuras deperditas, de quibus eum egisse Quintilianus testis est[1]), eodem modo quo verborum figuras definiverit exemplisque illustraverit.

Ac Quintiliani quae huc pertinent verba cum non satis diligenter perscrutaretur, Draheim in hanc quaestionem disceptandi rationem incidit, ut mihi videtur, improbabilem. Censet enim p. 3 sententiarum figuras a Rutilio tantummodo enumeratas esse sive in praefatione sive absolutis verborum figuris: mavult tamen prooemium eas complexum esse. Nititur Quint. IX II 102, ubi et Rutilium et Celsum posuisse multa alia schemata dianoeas legimus: quod verbum *ponere* cum ita interpretetur, ut esse idem atque *adscribere* iudicet, adscriptas tantum alteri figurarum generi a Rutilio eas figuras esse statuit.

At recte eum iudicasse mihi persuadere nequeo. Hoc enim verbum *ponere*, quod ille quasi amplectitur, idem hoc loco sibi velle atque enumerare sine definitionibus exemplisque quis necessarie demonstrare poterit? Sane haec quam Draheim inesse huic verbo vult notio optime quadrat in illum quem initio paragr. 102 Quintilianus memorat Ciceronem *(praeter illa vero quae Cicero inter lumina posuit sententiarum)*, qui revera in tertii de oratore libri c. 53 et 54 figuras suas omissis definitionibus exemplisque necnisi de usu paucis interdum additis ex ordine posuisse satis habuit. At paragraphum proxime antecedentem 101 si introspicimus, legimus ibi haec: *et Celsus tamen et non neglegens auctor Visellius in hac eam parte posuerunt, Rutilius quidem Lupus in utroque genere idque ἀντίθετον vocat.* Rutilius scilicet et inter lexeos et inter dianoeas schemata posuit figuram ἀντιθέτου: cuius utriusque generis antitheti unum inter schemata lexeos servatum

1) Quattuordecim ille figuras sententiarum Rutilianas memorat: IX II 103 et 106 duodecim laudat; praeterea figuras et ἀντιθέτου et ἀναγκαίου in utroque genere, scilicet inter figuras et verborum et sententiarum, positas ab illo dicit (IX II 101 et II 106, III 99).

nobis est cum definitionibus exemplisque; tres etiam quasi species Rutilius huic generi subiungit, quarum unamquamque et definit et exemplo illustrat: ac tamen hanc accuratam descriptionem tantummodo verbo ponere Quintilianus significat. Cf. etiam IX III 93: *quod apud eundem* scilicet Rutilium *primo loco positum est* scilicet schema *προσαποδόσεως*: cuius quidem figurae non nomen solum, sed duae etiam quasi species, quarum utraque descripta, utraque exemplo illustrata est, inter Rutilii quae habemus schemata lexeos exstant. Cf. omnium maxume IX III 99, ubi legimus: *item Rutilius praeter ea quae apud alios quoque sunt παρομολογίαν ἀναγκαῖον* et quae sqq. scilicet posuit inter figuras verborum (supplenda haec e paragr. 97); quae novem figurae inter ipsa lexeos schemata nobis servata cum definitionibus exemplisque leguntur. Praepropere igitur Draheim ea quae IX II 102 ad Rutilium spectant verba ita intellegenda opinatus est, quasi Rutilius sententiarum figuras suas a Quintiliano memoratas huic generi tantummodo adscripserit.

Immo sententiarum item ut verborum figuras accurate descriptas exemplisque auctas esse a Rutilio veri omnium simillimum est. Ut modo vidimus, *ἀντιθέτου* figurae, quam inter figuras et verborum et sententiarum a Rutilio positam Quintilianus IX II 102 refert, genus unum scilicet lexeos cum definitionibus exemplisque servatum exstat. Quod cum ita sit, num forte probabile est Rutilium illud alterum genus antitheti scilicet dianoeas adscripsisse tantummodo sententiarum figuris neque quicquam addidisse, quanam re haec sententiarum figura ab eiusdem nominis figura verborum differret, ita scilicet ut hanc quoque describeret exemplaque poneret? Mihi quidem prorsus incredibile hoc videtur.

Idem statuendum est de figura *ἀναγκαίου*. In alterius enim capitis paragr. 106 Quintilianus dicit haec: *Rutilius sive Gorgias ἀναγκαῖον, ἀνάμνησιν* et quae sqq. scilicet inter lumina posuit sententiarum; in tertii capitis paragr. 99 etiam inter verborum figuras hanc a Rutilio figuram positam esse idem testatur, ita tamen ut ipse eam verborum esse figuram neget.[1]) Huius quoque figurae genus utrumque mea sententia Rutilio ita erat tractandum, ut a

1) § 97: *Sola est in eo libro* sc. Ciceronis tertio de oratore *posita inter figuras verborum* . .; § 98: *adicit his Caecilius περίφρασιν, de qua dixi, Cornificius interrogationem* . . *quorum priora alterius generis* scilicet sententiarum *sunt schemata, sequentia schemata omnino non sunt*; § 99: *item Rutilius praeter ea quae apud alios quoque sunt παρομολογίαν, ἀναγκαῖον* et quae sqq. scilicet inter figuras verborum posuit, *de quibus idem dico* scilicet aut sententiarum potius ea schemata aut nulla esse.

figura *ἀναγκαίον*, quae inter schemata lexeos cum definitione duobusque exemplis nobis praesto est, alteram sententiarum discerneret eodem modo definitione exemplisque additis.

Aliud mihi contra Draheimium adest argumentum eos locos quibus Celsi rationem habet Quintilianus intueuti. Quaeritur enim, quemadmodum in sententiarum figuris suis tractandis ille, quem hausisse e Rutilio teste Quintiliano supra exposui, versatus sit. Atque lucem aliquam afferre videtur Quintiliani locus quem iam citavi IX II 22: mea enim sententia Quintilianus hanc figuram, cui apud Celsum nomen sustentationis impositum legerat, eandem esse atque eam, quam ipse figurae communicationis quasi speciem memorat, non statim intellegere poterat, nisi illi apud Celsum nomini adiuncta erat definitio. Recte autem me iudicare, cum ex solo nomine nequaquam posse semper, ipsius figurae quae sit notio, colligi adfirmo, ex eodem Quintiliano elucet, qui in tertio capite, apud Ciceronem quid sibi velint figurae mutationis (§ 92), ad propositum subiectae rationis (§ 93), relationis (§ 97), sibi non liquere fatetur, idcirco videlicet quod Cicero in tertio de oratore earum figurarum sola nomina sine definitionibus posuerat. Etiam c. II paragrapho 106, ubi Celsum dicit Quintilianus, consequens an epichirema esset, dubitasse — est autem haec figura ex iis quas e Rutilio petivit ille (cf. § 103) — quod dixi, confirmari puto. Itaque accurate descripsisse Celsum figuras suas sententiarum equidem pro certo adfirmaverim. Atqui eundem *accessisse* Rutilio § 102 legimus. Ergo Rutilius quoque non enumeravit solum figuras suas sententiarum, sed definivit singulas exemplisque illustravit.

Nec nullius momenti puto quod iam Iw. Mueller in recensione Draheimii libelli (cf. Jahresber. d. Fortschr. d. klass. A.-W. 1879, 2 p. 156) contra illius opinionem monuit. Nimirum codicum inscriptio ea quam, quoniam alterius libri inscriptioni nihil esse tribuendum supra demonstravi, solam respicere licet, primi scilicet libri inscriptio — cf. etiam alterius subscriptionem — est *schemata dianoeas,* quam quidem ita esse factam, ut doctus quidam homo schemata lexeos, quae sola Rutilii libri servati exhibent, et dianoeas schemata inter sese confunderet, absimile vero Mueller recte iudicavit: supplenda igitur cum Ruhnkenio sunt verba *et lexeos.* Quodsi hanc tenemus inscriptionem — quam ipse proponam levem mutationem vide infra —, tum ea verba coniuncta sententiarum figuras a Rutilio minime obiter tantummodo enumeratas, sed eadem ratione qua verborum figuras quas habemus tractatas esse aperte indicant.

Summa igitur eorum quae contra Draheimium disputavi haec est Rutilium schemata dianoeas, quae et ex codicum primi libri inscriptione alteriusque subscriptione et e Quintiliani testimoniis eius librum exhibuisse elucet, non enumerasse solum omissis definitionibus exemplisque, sed eodem modo descripsisse atque schemata lexeos quae servata exstant.

§ 6. Quot libris Rutilius sententiarum figuras, quot omnes omnino figuras tractaverit.

Iam quaeritur, quantum libri sui Rutilius his sententiarum figuris tribuerit: quae quidem quaestio cum primum expedita erit, simul efficietur inde, quantum omnes omnino Rutilii figurae expleverint.

Ac vel ex iis quae supra evicisse mihi videor colligere debeo nullo modo in prooemio, quae est Draheimii opinio[1]), sed in maiore totius libri, ipsius scilicet figurarum tractationis parte sententiarum figuras a Rutilio descriptas esse.

Duo libri nobis adsunt schemata lexeos continentes quadraginta unum numero. Quot autem dianoeas schemata Rutilius descripsisse putandus est? Quintilianus Rutilii schemata lexeos sedecim laudat, quibus in duobus libris servatis viginti quinque alia, scilicet quae et alii habebant, adiuncta videmus. Quodsi quattuordecim dianoeas schematibus, quae idem ille memorat Rutilii propria, item adicimus eiusdem generis figuras vulgatiores, sequitur, ut idem fere numerus schematum dianoeas apud Rutilium atque lexeos fuerit. Atque ut in libris duobus qui sunt de schematibus lexeos servatis minime duo genera diversa schematum lexeos habemus, sed ex numero ea aequaliter divisa esse adparet, ut ne nimis multas figuras unus liber complecteretur, sic illa schemata dianoeas, quae totidem fere fuisse quot lexeos probabile modo reddidi, item aequaliter divisa fuisse, ita ut dimidia pars uni, altera dimidia alteri tribueretur libro, veri simillimum iudicaverim. Mea igitur sententia etiam sententiarum figurae duobus libris, quattuor igitur libris cunctae figurae continebantur. Quae cum ita sint, suspicionem quandam mihi praebent quae apud Quint. IX II 102 legimus: *praeter illa vero quae*

1) Prooemio instructum fuisse Rutilii librum ex probabilitate tantum demonstrari potest: ceteros enim latinos rhetores et graecos qui de figuris proprios libros nobis servatos scripserunt si perlustramus, hunc eorum communem fuisse usum videmus, ut partim uberrime velut Alexander Numenii, Phoebammo, partim pauca sane velut Aquila Romanus, Tiberius, Herodianus, Polybius, Zonaeus, alii praefarentur.

Cicero inter lumina posuit sententiarum multa alia et idem Rutilius Gorgian secutus, non illum Leontinum sed alium sui temporis, cuius quattuor libros in u n u m *suum transtulit, et Celsus, videlicet Rutilio accedens, posuerunt schemata* .. Per sese quasi intellegitur non offendere me in eo, quod, Quintiliani lectionem si servamus, uno libro de utroque figurarum genere Rutilius egisse statuendus est, cum vel alii rhetores plures, velut auctor ad Herennium, Aquila Romanus, Tiberius, Herodianus, Zonaeus, anonymus *περὶ τῶν σχημάτων τοῦ λόγου* uno libro genus utrumque complexi sint. Ac parum munita mihi via videtur qua Ahrens eo venit, ut veram esse eam lectionem addubitet (vide Zeitschr. f. A.-W. 1843, p. 158): neque enim est, quod abhorrere ab usu dicendi ea verba .. *in unum suum transtulit* credamus, nec satis intellego, cur prorsus improbabilem ille dicat divisionem bis factam, quae quidem, eam lectionem si retinemus, statuenda est: tum videlicet sic rem explicare debemus, ut ipsum Rutilium in unum librum quattuor Gorgiae libros transtulisse, sed posterioris aetatis doctum quendam hominem respicientem fortasse illud, quod Quintilianus testatur quattuor fuisse Gorgiae libros, hunc unum Rutilii librum rursum in quattuor libros divisisse iudicemus. Sed alia de causa mihi videntur haec verba ipsa corruptelae speciem prae se ferre. Testatur scilicet Quintilianus translatos a Rutilio Gorgiae quattuor libros esse. Sed quicunque accuratius introspexerit hunc locum, ei ille non poterit non videri iisdem verbis *cuius quattuor libros in unum suum transtulit* significare in brevius contractos esse a Rutilio illos Gorgiae libros: nam nemo certe opinabitur in transferendo Rutilium, quaecunque apud Gorgiam in quattuor volumina dispertita legisset, ea ita, ut divisionem tantum illam omitteret, figuras vero definitionesque omnes ac cuncta exempla retineret, in unum volumen coegisse: aut de epitome aut de excerptis is qui simplicem in modum intellegere ea verba volet cogitare debebit. At tale quid num forte probabile est? Neque in definitionibus figurarum Rutilii neque in exemplorum numero requiritur quicquam — vide quae eadem de re alio sententiarum nexu supra exposui —; quare ipsum Gorgiam aliquanto plura verba de singulis figuris fecisse pluraque posuisse exempla credere vetamur. Ac quamquam ad unam omnes figuras translatas esse a Rutilio certis argumentis comprobari nequit, multas tamen ab eo omissas esse — tale quid autem postulant ea Quintiliani verba — prorsus incredibile est: certe si quas figuras omnino voluisset Rutilius omittere, mea sententia eas potissimum omisisset, quae quid signi-

ficarent apud Gorgiam, eum non satis intellexisse — dico figuras *παρομοίου ὁμοιοτελεύτου ὁμοιοπτώτου* — supra probabile reddidi: at etiam hae quamvis parum dilucide distinctae apud Rutilium exstant.[1]) Non igitur sanum omni in re illum Quintiliani locum puto: sanari tamen perfacile ita potest, ut cum Ahrensio unius tantum litterae mutatione pro *unum* scribamus *usum*. Quam coniecturam omni in re probabilem si recipimus, tum difficultas omnis sublata est: tum enim nihil impedit, ne divisionem in quattuor libros a Gorgia factam ab ipso Rutilio servatam statuamus.

§ 7. Utrum priore loco Rutilius figuras sententiarum an verborum descripserit.

In ipsa autem figurarum tractatione, quam quattuor libros esse complexam veri longe simillimum est, oritur quaestio, utrum priore loco descriptae fuerint sententiarum figurae an verborum. Sane solebant qui utrumque genus figurarum tractabant prius schemata dianoeas quam lexeos describere, quia et naturae humanae id magis convenire putabant prius concipienti animo res quam pronuntianti et graviores utilioresque in exornanda oratione figuras sententiarum quam elocutionis iudicabant. Quamquam non desunt, qui dianoeas schemata post schemata lexeos tractaverint, velut auctor ad Herennium et Phoebammo, id quod vel ideo non est mirandum, quia verborum figuras prius quam sententiarum a rhetoribus notatas esse certo constat. Plerumque tamen veteres rhetores a schematibus dianoeas fecerunt initium, ut Cicero (de orat. III 53 et 54), Quintilianus (cf. IX I 19: *ut vero natura prius est concipere animo res quam enuntiare, ita de iis figuris ante est loquendum quae ad mentem pertinent: quarum quidem utilitas cum magna tum multiplex in nullo non orationis opere vel clarissime elucet*), Alexander Numenii (p. 27: *τὰ μὲν τῆς διανοίας σχήματα προείρηται κατὰ λόγον ἡμῖν· παντὸς γὰρ λόγου προάγει ἡ τοῦ διανοήματος εὕρεσις, ἕπεται δὲ λέξις τῷ διανοήματι δι᾽ αὐτῆς ποιοῦσα φανερὸν αὐτό*), Aquila Romanus (p. 23: *percurramus igitur sententiarum figuras: natura est enim prius sentire quam eloqui*), Tiberius (p. 59: *πρῶτον οὖν τὰ τῆς διανοίας σχήματα δεικτέον, ἐπεὶ δεῖ τὸν νοῦν πάντως τοῦ λόγου προηγεῖσθαι*), Herodianus, Martianus Capella.

1) Ceterum his de rebus infra in capite tertio quod est de ratione quae inter Rutilium et Gorgiam intercedat agetur pluribus.

Nec dubitarem conicere hunc ordinem usitatiorem etiam Rutilium secutum esse, nisi duae mihi adessent causae, de quibus alium fuisse illius ordinem crediderim.

Ac primum reputemus nobiscum quae leguntur apud Quint. IX III 93: *nam de illo dubitari possit an schema sit, in distributis subiecta ratio, quod apud eundem* scilicet Rutilium *primo loco positum est. προσαπόδοσιν dicit* et quae sqq. Scilicet primo loco positam esse figuram προσαποδόσεως apud Rut. Quintilianus testatur, quocum testimonio locus is quem obtinet ea figura in libris duobus servatis congruit. . Hanc autem a Rutilio elocutionis figuram esse habitam ipso huius loci Quintilianei nexu sententiarum comprobatur. Fortasse obiecerit mihi quispiam ea verba sic intellegenda, quasi inter verborum tantum figuras primo loco positam fuisse eam figuram Quintilianus tradiderit, cum praesertim quae ille in tertii capitis fine inde a paragr. 87 usque in paragr. 99 refert ad verborum figuras in antecedentibus paragraphis descriptas additamenta quaedam sint, quibus plures memorat apud Ciceronem, Rutilium, alios figuras verborum, quas ipse aut sententiarum potius aut omnino non figuras putat. At plane simplicem in modum sic potius ea verba accipienda esse mihi videntur, ut non ad elocutionis tantum figurarum, sed ad omnium initium, ad universam figurarum tractationem pertineant; unde efficitur priore loco schemata lexeos a Rutilio tractata esse.

Accedit alterum. Ut supra vidimus, figuras *ἀντιθέτου* (cf. Quint. IX II 101) et *ἀναγκαίου* (cf. IX II 106 et III 99) et inter sententiarum et inter elocutionis figuras a Rutilio positas esse Quintilianus memorat. Quibus de figuris cum separatim ageret Rutilius, aut in dianoeas aut in lexeos schematum descriptione, qualis inter *ἀντιθέτου* schema dianoeas et schema lexeos atque inter *ἀναγκαίου* schema dianoeas et schema lexeos differentia intercederet, explicasse putandus est. Quodsi priore loco Rutilius schemata dianoeas posuisset, licuisset ei aut priore loco has duas figuras sententiarum ab eiusdem nominis verborum figuris discernere, quo facto posteriore loco inter figuras verborum verbo saltem memorare debebat has iam antea a se figuras tractatas esse, aut posteriore demum loco i. e. inter schemata lexeos quae adhuc exstant eam differentiam notare. At horum ego neutrum in descriptionibus *ἀντιθέτου* et *ἀναγκαίου* schematum lexeos quae etiamnunc habemus factum video: nam et accuratissima ibi exstat utriusque figurae definitio, nullo verbo addito e quo iam in antecedentibus has ab eo figuras memoratas et ab eiusdem nominis dianoeas schema-

tibus priore scilicet loco positis discretas esse liceat suspicari, neque quicquam ibi, quemadmodum inter sese differant haec duo schemata lexeos eademque dianoeas, legitur.[1]) Ergo apte ea differentiae significatio non potuit nisi ita fieri, ut post schemata lexeos dianoeas schemata descripta esse a Rutilio statuamus.

Quae duo argumenta nequaquam omnium esse gravissima et firmissima ipse mihi persuasi; sed cum pluribus multoque etiam gravioribus argumentis hoc ordine tractasse Rutilium illa duo genera schematum comprobare nequeam, in his quae attuli ad stabiliendam sententiam meam acquiescendum mihi est, nec probabilia saltem haec ipsa iudicare antea desinam, quam certissumis rationibus aliquis errare me demonstraverit.

§ 8. Quomodo liber Rutilianus inscribendus sit.

Iam etiam, quomodo ipsum Rutilium libros suos inscripsisse veri sit simillimum, diiudicari potest.

Inscriptionis illius quae exstat in libro altero ratio mihi habenda non iam est. Relinquuntur igitur quae primi initio libri et in fine alterius codices praebent. Ac mentio Gorgiae *(P. Rutilii Lupi schemata dianoeas ex graeco uorsa Gorgia)*, utpote quae ex Rut. II 12 haud dubie illata sit, removenda est. Sed figuras elocutionis quas libri servati exhibent a docto quodam homine confusas esse figuris sententiarum, ita ut is per errorem hos duos libros inscriberet *schemata dianoeas*, cum Iw. Muellero veri esse dissimillimum supra statui. Ergo in ea inscriptione *schemata dianoeas* vestigia exstare quibus ad inscriptionem ab ipso Rutilio factam ducamur certum est: quae quidem verba, cum tantummodo elocutionis figuras libri servati praebeant, corrupta esse adparet. Atque Ruhnken in edit. suae annot. ad p. 2: auctor ipse, inquit, ni fallor, hunc libro suo titulum fecerat: *P. Rutilii Lupi schemata dianoeas et lexeos ex Graecis Gorgiae versa.* Halm, cum lexeos tantum schemata duobus qui supersunt libris contineantur, in-

1) Rut. I 20: *ἀναγκαῖον. hoc schema tunc prodest atque omnis eius utilitas in eo est, cum volumus ostendere necessitudinem aut naturae aut temporis aut alicuius personae.*

II 16: *ἀντίθετον. hoc pluribus modis fieri solet et habet in omni genere orationis summam utilitatem. Quare separatim demonstrandum est de unoquoque genere eius. Unum est, cum contrariae res inter se conferuntur . . hoc idem fieri potest in una persona . . est autem aliud genus huius, quod in eadem sententia priori verbo contrarium quod est infert et coniungi solet . . . aliud est, item quod superiori infertur, sed consequenter . . .*

scribit hos: *P. Rutilii Lupi schemata lexeos;* contra quod recte monet Draheim inde, codicum scriptura *schemata dianoeas* quomodo nasci potuerit, non posse intellegi. Ipse Draheim inscribendum aut *P. Rutilii Lupi schemata* aut *P. Rutilii Lupi de figuris* censet. Ego recurrendum — remota videlicet Gorgiae mentione — ad Ruhnkenii inscriptionem iudico, ita tamen ut teneam quod modo veri simile reddidi de ordine quo illa duo genera schematum Rutilius tractaverit: quod si verum est, ipse Rutilius libros suos inscripsit hoc modo: *P. Rutilii Lupi schemata lexeos et dianoeas.*

III.

QVAE INTER RVTILIVM ET GORGIAM INTERCEDAT RATIO EXPLICATVR.

Ad extremum, qualis inter Rutilium et Gorgiam intercedat ratio, liceat explanare; cuius quidem quaestionis ex parte iam in antecedentibus fundamenta ieci.

Est autem liber Rutilianus translatus secundum Quint. IX II 102. Ac quattuor Gorgiae de schematibus lexeos et dianoeas libros Rutilium item quattuor libris, ita ut utrique generi figurarum binos libros tribueret, latine vertisse veri omnium simillimum supra statui.

Sed quaeritur, in transferendo quatenus illum graecum rhetorem secutus sit.

§ 9. Num omnes Gorgiae figuras Rutilius transtulerit.

Ac primum quidem ipsarum Gorgiae figurarum nullam non esse a Rutilio translatam crediderim. Quamquam certissumis argumentis comprobare hanc meam sententiam nequeo, sed ne obstat quidem quicquam, quominus ita iudicem. Exspectare nos, si omnino voluisset Rutilius excerpere tantum quae sibi placerent, eas potissimum figuras eum omissurum fuisse quae II 12—14 leguntur supra monui. Nec Quintiliani verba sententiae meae repugnant; nam reiciendum est quod Draheim p. 6 et 10 censuit ex ipso Quintiliano posse colligi non omnes Gorgiae figuras a Rutilio translatas esse: non vult enim credere Quintilianum intermissa tantum Celsi commemoratione bis de Rutilio, nimirum IX II 103 et 106, dixisse ideoque paragr. 106 ad Rutilium sive Gorgiam, 103 ad

solum Gorgiam referendam statuit, ita ut § 106 Quintilianus enumeret communia utriusque rhetoris schemata, § 103 autem quae solius sint Gorgiae: *consummationem, quam Graecus διαλλαγήν vocat, cum plura argumenta ad unum effectum deducuntur: consequens, ille ἐπακολούθησιν* . . .: *collectionem qui apud illum est συλλογισμός· minas id est κατάπληξιν· exhortationem, παραινετικόν.* Error in aperto: scilicet cum miraretur Draheim duobus locis Quintilianum separatim sententiarum figuras quas alii non haberent Rutilianas sive Gorgianas memorasse nec potius uno quasi tenore has deinceps enumerasse, totius huius loci qui inde a § 102 usque in § 106 pertinet nexum sententiarum perperam intellexit. Ni fallor, eum esse nexum opinatus est, quasi II 102 Quintilianus multas alias figuras posuisse et Rutilium, Gorgiam secutum, et Celsum, Rutilio accedentem, memoret et in sequentibus hos quos modo nominaverat singulos percurrens primum § 103 Gorgiae, deinde § 104 et 105 Celsi, denique § 106 Rutilii sive Gorgiae complures figuras enumeret. At revera cohaerent haec inter se hunc in modum: § 102 et 103 Quintilianus sententiarum figuras, quales alibi non exstent, enumerat eas quas Gorgias Rutilius Celsus, ita scilicet ut e Gorgia Rutilius, e Rutilio Celsus hauserit, communes habent, quinque numero; § 104 et 105 eas quas solus Celsus habet, non igitur communes cum Rutilio sive Gorgia, sed ipse finxit, septendecim numero; denique § 106 eas quas Gorgias et Rutilius soli habent, non igitur, sicut § 102 et 103, cum Celso communes, octo numero. Non habemus igitur, quod cum Draheimio offendamus in eo quod post § 102 et 103 Quintilianus interiecta Celsi commemoratione § 106 iterum alias quasdam Rutilii sive Gorgiae figuras affert. Atque ut solius esse Gorgiae ea schemata quae § 103 leguntur adfirmaret, Draheim, praeterquam quod nexum sententiarum non perspexit verbaque paragraphi 103 a proxime antecedentibus omnino disiunxit, fortasse eo etiam motus est quod Quintilianus § 103 sic pergit: . . *consummationem quam* G r a e c u s *διαλλαγήν vocat* . .: *consequens,* i l l e *ἐπακολούθησιν* . .: *collectionem qui apud* i l l u m *est συλλογισμός* . . . Quamquam has voces *Graecus* . ., *ille* . ., *illum* . . spectare ad solum Gorgiam adparet; sed ibi mea sententia Quintilianus, cum ceteroquin Rutilium quam Gorgiam laudare mallet, sibi non constitit de consulto, quia, cum Graecas harum figurarum appellationes Graecis litteris scriptas afferre iisque latina nomina ab ipso ficta opponere vellet, Graecum scriptorem nominare quam Rutilium, tametsi is easdem appellationes Graecis litteris scriptas retinuerat, rectius ducebat. Sed hoc utut est, ea

verba quae § 103 leguntur artissime coniungenda esse cum § 102 sententiarum nexus is quem ego recte expedivisse mihi videor docet: ibi autem cum Rutilii nomen legatur Gorgiam secuti, sequitur, ut et Gorgias et Rutilius eas quinque figuras habuerint.

Cunctas igitur figuras Gorgiae a Rutilio esse translatas non est cur negemus.

§ 10. Quemadmodum in definitionibus Gorgiae transferendis Rutilius versatus sit.

Alia est quaestio, quemadmodum in transferendis Gorgiae definitionibus Rutilius versatus sit.

Atque ad verbum definitiones Gorgianas ille minime vertit. Ut supra exposui, cum exemplis potius quam definitionibus explanare unamquamque figuram vellet, definitiones figurarum plerasque neglegenter aliqua in re tractavit, ita scilicet ut describeret eas potius quam definiret. Itaque pro certo adfirmaverim ipsum Gorgiam definiendis singulis figuris magis quam illum operam dedisse. Tales autem distinctiores finitiones etiam paucioribus verbis a Gorgia quam a Rutilio poterant absolvi. Neque facio cum Draheimio qui p. 10, omnino quod pluribus Gorgias exposuisset, Rutilium brevi rettulisse persuasum habet. Nam quem ille affert locum ex parte iam supra citatum II 12: *παρόμοιον. hoc schema et homoeoteleuton et homoeoptoton fere non multum inter se distant. Tamen quid intersit, et ex uniuscuiusque supposita sententia cognoscere poteris et multo diligentius ex Graeco Gorgiae libro, ubi pluribus uniuscuiusque ratio redditur* —, is mihi non videtur ad hanc eius confirmandam sententiam valere. Quid enim? Ea verba num forte necesse est ad cunctas Rutilii figuras referamus omnesque a Gorgia multo uberius tractatas esse credamus? Immo tantummodo ad hunc unum locum mea sententia ea spectant: hoc uno loco, qui est de figuris *παρομοίου ὁμοιοτελεύτου ὁμοιοπτώτου*, de harum differentia figurarum *multo diligentius* dixisse Gorgiam propterea Rutilius memorat, quod, cum earum vim differentiamque apud illum non penitus intellexisset — vide quae supra non semel ea de re exposui —, ita se expedire ex hac difficultate optimum ducebat factu, ut ad exempla et ad ipsum Gorgiam nos relegaret. Non igitur cum Draheimio (cf. etiam Teuffelii-Schwabei hist. lit. Rom. p. 648, Schanzii p. 437) testimonium hoc luculentissimum puto e quo eluceat in omnium descriptionibus figurarum, quae accuratius Gorgias explicasset, a Rutilio in brevius contracta esse, amplioresque fuisse Gorgiae definitiones cunctas, cum in ipsius Ru-

tilii figurarum descriptionibus — videlicet praeter II 12—14 —, ut sint ampliores, non requiratur, nego.

§ 11. Num in exemplis suis Rutilius versiones latinas adhibuerit.

Relinquitur, ut de exemplis disseram ac quo iure plures viri docti de versionibus latinis a Rutilio in exemplis suis adhibitis cogitaverint examinem.

Profecti autem sunt, qui Gorgiae exempla ipsum Rutilium latine vertisse negaverunt, ab observatione quadam dicendi generis: quod quidem, quale in exemplis nobis occurrit, differre ab eo, quod in descriptionibus usurpatum videmus, manifestum est. In definitionibus enim figurarum simplicior, elegantior in exemplis videtur sermo, ut in exempla tantum mea sententia optime quadrent quae in universo scribendi genere Rutiliano his verbis Ruhnken praef. p. XV laudat: omnia simplicem et naturalem pulchritudinem habent, similem Tullianae, cuius imitandae studium aliquot locis etiam deprehendimus. Esse igitur concedo, cur eiusmodi stili discrepantiam, qualis est revera, miremur studeamusque, qui potuerit intercedere, aliqua ratione explicare.

Atque Is. Casaubonus ad hanc quam praebet stili diversitas difficultatem tollendam eam viam ingressus est, ut Rutilium definitiones illas quidem figurarum e Gorgia transtulisse, sed in exemplis secutum esse aliorum quae tum ferebantur versiones latinas existumaret (cf. Ruhnk. praef. p. XVII). Quam illius opinionem cum Ruhnken verbo refellendam putaverit, ego accuratius inquiramus in eam necesse puto vel ideo, quod huius aetatis vir illustrissimus Iw. Mueller (in recens. Valetonis diss. Groning. de M. Valerio Messalla Corvino a. 1874 ed., cf. Jahrb. d. F. d. kl. A.-W. 1879, 2 p. 155) eandem opinionem repetivit, ita quidem, ut, cum Casaubonus eundem quo niteretur locum respiciens de certo quodam homine, ni fallor, nondum cogitasset, ipse petita ex Messallae versionibus latinis Graecorum oratorum haec exempla Rutiliana esse coniceret.

Exstitisse autem tales versiones latinas cum aliorum tum Messallae testatur Quintilianus X v 2 his verbis: *vertere Graeca in latinum veteres nostri oratores optimum iudicabant. Id se L. Crassus in illis Ciceronis de oratore libris dicit factitasse: id Cicero sua ipse persona frequentissime praecipit, quin etiam libros Platonis atque Xenophontis edidit hoc genere translatos: id Messallae placuit, multaeque sunt ab eo scriptae ad hunc modum orationes, adeo ut etiam cum illa Hyperidis pro Phryne*